L. G. E. RAUWENHOFF,

DISQUISITIO

DE

LOCO PAULINO QUI EST DE ΔΙΚΑΙΩΣΕΙ

DISQUISITIO

DE

LOCO PAULINO QUI EST DE ΔΙΚΑΙΩΣΕΙ.

DISQUISITIO

DE

LOCO PAULINO, QUI EST DE ΔΙΚΑΙΩΣΕΙ,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

GIDEONIS JANI VERDAM,

Math. Mag. Phil. Nat. Doct., et in Fac. Discipl. Math. et Phys. Prof. Ord.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

In Academia Lugduno-Batava,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

LUDOVICUS GUILIELMUS ERNESTUS RAUWENHOFF,

AMSTELODAMENSIS.

AD DIEM XII MARTII MDCCCLII, HORA I—II.

IN AUDITORIO MAJORI.

LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD P. ENGELS.

MDCCCLII.

Ex Typographeo H. R. de Breuk.

Parentibus

Optimis Carissimis.

PRAEFATIO.

Est hic mos juventutis Neêrlandicae, ut in exordiis dissertationum, quibus doctoratûs honor in disciplina aliqua petitur, gratum animum palam profiteantur erga praeceptores, quos in illius disciplinae studiis duces auctoresque habuerunt. Hunc morem egregium et ego servabo. Nam cum omnino quidquid in hac vitâ agimus, aut scribimus, aut sumus, non totum nostrum est, sed magna ex parte debetur alio-

—

rum sive monitis sive exemplis; quanto magis juvenem scholas Academicas relicturum deceat, quidquid in studiis profecerit, id totum et grato animo acceptum referre praeceptoribus.

Equidem per quadriennium versatus sum in Athenaeo Illustri Amstelodamensi, ibique Professores, diversorum coetuum inter Protestantes cathedras theologicas obtinentes, magna cum voluptate atque, ut spero, non sine studiorum fructu, audivi fere omnes. Mox Leidam profectus Virorum Clarissimorum van Hengel, Kist *et* van Oordt *eximiâ frui institutione mihi licuit. Unus mihi ante omnes grate pieque commemorandus est Clar.* Scholten, *Promotor aestumatissimus. Quantum discipulus magistro debere potest, tantum huic viro debeo. Quam regiam viam in disciplinis theologicis ipse in patria nostra felicissime sequitur, atque discipulis suis commendare solet, ejusdem et mihi auctor exstitit. Neque tuum nomen his meis chartis silebitur, Clarissime* Moll! *Utrum praeceptoris carissimi, an amici optimi te nomine compellem, nescio. Tu enim, Vir Clar.! non studiorum tantum, verum etiam vitae, dux, uti a primordiis inde studiorum meorum mihi fuisti, ita*

—

etiamnunc esse pergis. Tu primus magnum in me excitasti disciplinae theologicae futurique muneris antistitis Christiani amorem; ex tuo autem exemplo intellexi, ecquod summum habendum sit Theologi Christiani ornamentum. Hoc spero, si quando coetum Christianum meae credere curae Deo placuerit, non defutura esse ingenii vere Christiani, quod in me excitare studuisti, documenta et fructus.

Tandem ad te me converto, quem primo loco commemorare debuissem, Clar. A. des Amorie van der Hoeven! O magnam felicitatem meam! Quem praeceptorem carissimum habui, eum aliquando, si Deus largiatur, dulcissimo patris nomine appellabo. Qua ipsa spe et exspectatione quominus in tuas laudes atque erga me merita eximia excurram, invitus prohibeor. Me autem, utut in ceteris aliis inferiorem, in te colendo nemini cedere velle, ut tibi persuasum est, ita publice hîc testari, animus gratus jubet. Quod autem ego cogor silere, id ipsum disertius testatur, quam dici a me possit, egregium, quod condidisti, et in ecclesiâ Remonstrantium, et vero in Seminario, cui per quinque fere lustra praefuisti, nominis tui monumentum.

—

Tandem valedicere, amici optimi! vobis liceat, qui intima mecum conjuncti fuistis amicitia. Vobis quid debeam laeto gratoque recordor animo. Pulcerrimae juventutis ne umquam pereat memoria!

CONSPECTUS.

INTROITUS.

Circumspicienti mihi, de quo dissertationem scriberem, argumentum, auctor exstitit Clar. SCHOLTEN propositi tractandae Pauli doctrinae de justificatione hominis ex fide. Res statim arrisit, eamque aggressus, summum Pauli ingenium mirari haud desii, tamque eximiae doctrinae auctoris amore in dies magis captum me vidi. At sane arduam me suscepisse rem haud diu me latuit; nec mirum, quum, teste WETTIO (1), ne summus quidem SCHLEIERMACHERUS veram intellexerit justificationis notionem. Hinc juvenilem me potius ardorem, quam virium modum in tam difficili quaestione rite pertractanda, attendisse, mox suspicari atque intelligere in dies magis coepi. Ne tamen propositum mitterem, monuit consilii speciminis scribendi ratio; non enim docere mihi proposueram, sed, ex tractato quodam Pauli doctrinae capite, discere studui. Neque

(1) In Comm. ad. Jacobi Epist. p. 129.

hac in re eventus spem fefellit. Tum quoque ferebat studiorum ratio, ut summos in Theologia peterem honores.

Ubi adhuc in disquisitionis primordiis versarer non alienum me fuisse fateor a proposito una cum dogmate tractandi dogmatis historiam, et recensionem sententiarum praecipuorum scriptorum, qui de hoc argumento egerint; ulterius vero progressus, atque collatis diversi temporis libris haud paucis, praestare intellexi in nuda argumenti expositione acquiescere. Hinc Catholicorum aliorumque in exponendo loco Paulino errorem verbo indicasse mihi sufficere visum est, in singulis vero interpretandis locis e Pauli scriptis, a memorandis et refellendis virorum doctorum sententiis abstinendum esse existimavi.

Numquam vero me in magistri cujuscunque verba jurasse, nec alio umquam nisi veritatis ductum me studio fuisse, conscium mihi esse, fateri liceat. Est igitur specimen mere exegeticum; quaeque illi dogmatica insunt, haec una exegesi superstructa esse apparabit. Quodsi autem plura quaerantur, praeter illa quae in singulis fere dogmatices habentur compendiis, ingentem scriptorum numerum memoratum invenies in Clar. HERINGAE, *Op. Exeg. et Herm.* editis a Clar. VINKE, Ultraj. 1845, p. 234 sq., tum in BRETSCHNEIDERI, *Syst. Entw. aller in der Dogm. vork. Begr.*, Ed. III. p. 638, quosque passim indicavit Clar. J. VAN VOORST in Annot. in loca selecta N. T. specimine altero, Lugd. 1811, quod praeside Voorstio defendit Ven. DID. RIJKE. Dogmatis historiam, praeter HAGENBACHIUM aliosque, quoad prima lineamenta exararunt BRETSCHNEIDER, *Handb. der Dogm.*, Ed. III. T. II. p. 336—355,

HASE, *Evang. Dogm.* Edit. IV. p. 332—338. STRAUSS, *Christl. Glaubenslehre*, II. p.470—484. Doctrinam Ecclesiasticam, praeter variarum Ecclesiarum libros symbolicos, exhibuerunt BRETSCHNEIDER, l. l. p. 254—267, HASE, l. l. p. 325—332. Ex his aliisque fontibus magna eruditionis specie disputationem exornare, haud difficile fuisset: at cui bono? — Quin: cui non malo? — rogari queat; ni enim limites rei natura tali specimini Academico positos transgredi vellem, omnis haec sententiarum atque historiae percontatio, inchoari siquidem posset, a perfectione tamen longe distare deberet. Nunc vero, omnibus, e Pauli scriptis, huc pertinentibus exploratis, plenius quoque Pauli explicare potuisse mentem mihi visus sum (1).

Mirari forte subeat me in duobus exponendis, multo quam in ceteris fuisse longiorem, scil. in enucleanda significatione a LXX Vet. Testamenti Interpretibus vocabulo δικαιοῦν tributa, et in vindicanda vera τῆς πίστεως in Pauli scriptis notione. Utrumque factum non tantum summae rei gravitatis causa est, verum etiam propterea quod accuratior utriusque in libris exegeticis et dogmaticis deesse videbatur expositio; quocirca id agendum putavi ut plerosque locos huc pertinentes exegetico examini subjicerem et inter se conferrem.

(1) Unum doleo, me conferre non potuisse Doct. WINZERI, *Spec. de vocc., δίκαιος, δικαιοσύνη et δικαιοῦν in Pauli ad Rom. Epist.*, Lips 1831; atqui irrita fuit bibliopolarum cura ut mecum ex Weichelii Dissertationum bibliotheca librum communicarent. Constitit vero ex WETTII, FRITZSCHII, aliorumque Commentariis illum, quoad rerum summam, mecum convenire.

Dicta sufficiant: ipsa rem suam agat disputatio; aequos sibi optat judices, non faciles.

Disputationis erit ordo quintupartitus:

I. inquiretur in justificationis *notionem;*
II. sermo erit de fide justificationis acquirendae *lege;*
III. *nexus* fidem inter et justificationem explicabitur;
IV. justificationis indicabitur *fundamentum;*
V. addetur doctrinae de homine ex fide justificando *vindicatio.*

CAPUT I.

JUSTIFICATIONIS NOTIO.

Unice probandam viam ad argumenti propositi intelligentiam quum sternat sana verborum, quibus doctrina de justificatione continetur, interpretatio, ordiendum videtur ab inquirendo sensu vocabulorum huc pertinentium; et, quamvis statim in oculos incurrat, hic potius Hebraeorum cogitandi dicendique rationem in censum venire, quam verborum apud scriptores Graecos, classicos quos dicunt, usum, ne tamen ab hac quoque parte dubia moveantur, initium facere lubet ab exponendo usu grammatico vocabulorum, de quibus agitur quaestio, apud scriptores Graecos, unde transitum facturus sum ad V. T. Interpretes Alexandrinos, ut dein agatur de N. T. scriptis, inprimis de usu vocabuli δικαιοῦν in locis Pauli dogmaticis de justificatione, quibus postremum addetur dubitationum, quae nostrae interpretandi rationi opponi possunt, expositio et refutatio.

§ 1.

Scriptores Graeci.

Δίκαιος derivatur a δίκη cujus prima significatio est *mos*, *consueta agendi ratio*; sic Hom. *Il.* IV. 691: ἥτ' ἐστὶ δίκη θείων βασιλήων. Inde δίκαιος dicitur is, cujus vivendi agendique ratio convenit cum τῇ δίκῃ; sic Hom. *Il.* XI. 832 Χείρων dicitur δικαιότατος Κενταύρων, quod Schol. interpretatur φιλοξενώτατος, quia officia erga peregrinos, quippe ad hominis bene morati rationem pertinentia, inprimis ad τὸ δίκαιον sunt referenda. Sponte inde sequitur voce δίκαιος indicari quidquid tale est, quale esse debet; sic Xenoph. *Mem.* IV. 4. 5. ἀγρὸς dicitur δίκαιος cui opponitur πονηρός. Homo autem δίκαιος est is, qui obsequium praestat legi aut divinae aut humanae, ita ut δίκαιος ab omni parte perfectus sit dicendus; sic Aesch. *Sept.* 580 voci δίκαιος opponitur δυσσεβής, ipsique adjunguntur σώφρων, ἀγαθός, εὐσεβής.

Δικαιοσύνη (abstracta notio rei, adjectivo a quo derivatur, indicatae, cf. Buttmann, Gr. Gramm. 119. 10 c.) significat conditionem, habitum, agendique rationem τοῦ δικαίου, inde *aequitatem*, *justitiam*, *perfectionem qualemcunque*. Sic Socrates apud Platonem Rep. IV. 433: τὸ τὰ αὑτοῦ πράττειν καὶ μὴ πολυπραγμονεῖν δικαιοσύνη ἐστί. Eodem illo Rep. Libro IV. Plato uberius agit de quaestione: quid sit ἡ δικαιοσύνη? atque huic tribuit munus varias, quibus constat civitas, partes, inter se conjungendi.

Civitatis adeo justitia nihil est aliud, nisi ordinum civilium inter se consensio; singulorum autem hominum justitia eo continetur quod quisque suo fungatur officio, nec aliorum sese inmisceat rebus.

Δικαιόω. Gratum foret, si ex modo, quo a nomine adjectivo, verbum formatum est, hujus repetere liceret significationem. Jam Doct. BUTTMANN, Gramm. 119, 3, c. exhibet canonem ex quo triplex vindicanda sit signifiatio verbis, ope terminationis όω ab adjectivis formatis, tribuenda. Hanc autem normam, non sermonis Graeci indole, sed unice singulorum verborum observatione niti, in promptu est. Itaque haec regula nullam vim cogendi habere potest in interpretatione vocis δικαιόω; quod bene videtur observandum, quia germana vocis δικαιόω significatio ad nullam trium ibidem memoratarum classium jure referri posse videtur; regulam autem illam, aliis quoque allatis exemplis, vitii convinci posse, probare haud difficile foret. Hinc potius ex sensu atque oratione contexta, quibus, apud scriptores Graecos, offertur vox δικαιόω, hujus efficiamus significationem. SUIDAS in voce annotat: Δικαιοῦν δύο δηλοῖ· τό τε κολάζειν, καί τὸ δίκαιον νομίζειν, atque hanc sententiam varia comprobant scriptorum effata. Quod attinet ad τὸ δίκαιον νομίζειν, hanc significationem tamquam primariam ad unum omnes exhibent Lexicographi, scil. *justum et aequum censere*; sic: SOPH. *Oed. Col.* 1350: αὐτὸν δεῦρο προπέμψας ἐμοὶ Θησεὺς, δικαιῶν ὥστ' ἐμοῦ κλύειν λόγους. THUC. III. 40: γένοιτο πλοῦς, ὅποι ποτὲ θεὸς δικαιοῖ. Hinc interdum idem valet quod

ἀξιόω. SOPH. *Trach.* 1244: οὐ γὰρ δικαιοῖς τοῦ φυτεύσαντος κλύειν. THUC. V. 105: οὐδὲν γὰρ ἔξω τῆς ἀνθρωπείας, τῶν μὲν ἐς τὸ θεῖον νομίσεως, τῶν δ' ἐς σφᾶς αὐτοὺς βουλήσεως, δικαιοῦμεν ἢ πράσσομεν. Porro *censendi* habet significationem, THUC. IV. 122: εἶχε δὲ ἡ ἀλήθεια περὶ τῆς ἀποστάσεως μᾶλλον ἢ οἱ Ἀθηναῖοι ἐδικαιοῦν „at certe magis verum erat, quod de defectione dicebatur, quam Athenienses censerent (STEPH. in Lex.)." — Altera autem vocis significatio, *condemnandi* et *puniendi*, quam exhibet SUIDAS, probatur ex THUC. III. 40: τοῖς μὲν οὐ χαριεῖσθε, ὑμᾶς δ' αὐτοὺς μᾶλλον δικαιώσεσθε, „vos autem ipsos magis condemnabitis (STEPH. in Lex.)." — Eodem modo PLATO *de Leg.* XI. p. 934. b. ubi egit de poena componenda ad rationem delicti, haec habet; οὐχ ἕνεκα τοῦ κακουργῆσαι διδοὺς τὴν δίκην, (οὐ γὰρ τὸ γεγονὸς ἀγένητον ἔσται ποτέ) τοῦ δ' εἰς τὸν αὖθις ἕνεκα χρόνον ἢ τοπαράπαν μισῆσαι τὴν ἀδικίαν αὐτόν τε καὶ τοὺς ἰδόντας αὐτὸν δ ι κ α ι ο ύ μ ε ν ο ν, ἢ λωφῆσαι μέρη πολλὰ τῆς τοιαύτης ξυμφορᾶς. — STEPHANUS *in Lex. annotat* δικαιόω etiam significare *purgo*, *excuso* i. q. ἀθῳόω; sed si quaedam hujus significationis sunt vestigia, nulla habentur praeter illa quae exstant apud LXX Interpretes (de quibus infra sermo erit) quaeque ex Dionysio Areopagita collegit BUDAEUS; haec autem, ubi quaeritur de scriptoribus classicis, nulla gaudere auctoritate, perspicuum est. Ex his omnibus jam apparet, vocem δικαιοῦν fere semper usurpari de re forensi, neque unquam (quod inprimis ad nostram facit disquisitionem) valere: *justum facere*. Porro observandum superest me nullibi apud

scriptores classicos formulam invenisse: τινά δικαιόω sensu: *aliquem justum habeo.*

Δικαίωσις. SUIDAS: κατάκρισις et sub δικαιώσεις habet Λυσίας τὰς δικαιολογίας, Θουκιδίδης δὲ τὰς κολάσεις λέγει. Idem animadvertit HARPOCRATION in Λέξεις ῥητορίκαι Ed. IMM. BEKKER p. 62. voce δικαίωσις. Λυσίας ἐν τῷ περὶ τοῦ στρατιώτου, εἰ γνήσιος, καὶ μάλα τὰς δικαιώσεις φησὶν ἀντὶ τοῦ δικαιολογίας, ὁ μέντοι Θουκιδίδης πολλάκις τὴν δικαίωσιν ἐπὶ τῆς κολάσεως τάττει. Lexic. vulgo interpretantur: εἰς δίκην ἀπαγωγὴ, κρίσις, κόλασις. Significat igitur aut *damnatio*, *supplicium* aut *defensio* coram judice. Prior significatio occurrit apud THUC. VIII. 66.: καὶ τῶν δρασάντων οὔτε ζήτησις, οὔτ' εἰ ὑπωπτεύοντο, δικαίωσις ἐγίγνετο. DIO CASS. XL. 43: καὶ αὐτοὺς ὁ Καῖσαρ καὶ φρουραῖς καὶ δικαιώσεσι (impositis praesidiis, suppliciisque) χρημάτων τε ἐσπράξεσι καὶ φόρων ἐπιτάξεσι, τοὺς μὲν ἐταπεινώσε, τοὺς δὲ ἡμέρωσε. — Locus autem ex Lysiae scriptis, in quo habetur altera significatio, *defensionis* coram judice, hic est: Edit. BEKKER, IX, 8. p. 277: ὅτι μὲν οὖν ἀφείθην ὑπὸ τῶν ταμιῶν, ἐπίστασθε προςήκειν δὲ ἡγούμενος καὶ διὰ ταύτην τὴν ἀπόδειξιν ἀπηλλάχθαι τοῦ ἐγκλήματος, ἔτι πλείονας καὶ νόμους καὶ ἄλλας δικαιώσεις παρασχήσομαι κ. τ. ἑ. — Porro voce δικαίωσις indicantur *vindiciae.* THUC. I. 141: τὴν γὰρ αὐτὴν δύναται δούλωσιν, ἥτε μεγίστη καὶ ἡ ἐλαχίστη δικαίωσις ἀπὸ τῶν ὁμοίων πρὸ δίκης τοῖς πέλας ἐπιτασσομένη. Apud DION. *Hal.* III, 10 idem valet ac *sententia de jure;* dum in THUC. III. 82 verbis: τὴν εἰωθεῖαν ἀξίωσιν τῶν ὀνομάτων ἐς τὰ ἔργα ἀντήλλαξαν τῇ δικαιώσει, ultima verba

dubiae sint interpretationis, quum alii vertant „in excusationem," alii „ ex judicio et libidine."

Δικαίωμα proprie est *justefactum*, sed discrimen quod intercedit inter δικαίωμα et δικαιοπράγημα habetur in verbis Budaei ex *Arist. Eth.* 5. 7: καλεῖται δὲ τὸ κοινὸν μᾶλλον δικαιοπράγημα· δικαίωμα δὲ τὸ ἐπανόρθωμα ἀδικήματος; inde idem quod *poena*, Plato *Leg.* IX. 864. e., dum apud Thuc. I. 41. habêtur sensu *vindiciarum*.

§ 2.

Veteris Testamenti Interpretes Alexandrini.

Interpretum Alexandrinorum auctoritas multo major est in solvenda quaestione proposita, quam scriptorum graecorum, quum Novi Testamenti auctores non tantum notiones permultas ex Judaïsmo hauserunt, verum etiam iisdem saepe usi sunt formulis, quae etiam apud LXX Interpretes offenduntur. Jam videndum est quis apud hos sit usus vocabulorum ad justificationem pertinentium. Longum autem foret omnia enumerare exempla, quae faciant ad vindicandam notionem vocibus δίκαιος et δικαιοσύνη tribuendam. Universe sufficiat observare, his non tantum illam designari virtutem, qua sua cuique concedantur, sed δίκαιον nuncupari hominem qui officiis erga Deum et homines recte fungitur, ita ut δίκαιος Latine dicatur, homo integer. Hic latior verborum usus jam inde apparet, quod voce δίκαιος non tantum utantur Interpretes Alex.

ubi textus Hebr. habet צַדִּיק, sed etiam ubi habetur יָשָׁר aut נָקִי aut שָׁלֵם, quemadmodum δικαιοσύνη, ponitur loco vocabulorum אֱמֶת, חֶסֶד, מִשְׁפָּט, צְדָקָה aliorumque, quorum omnium exempla tradunt Lexica et Concordantiae. Neque diutius hac in re consistam necesse erit, quum vix de his dubium moveri possit: potius transitum faciam ad vocem δικαιόω, de cujus interpretatione hactenus dissentiunt viri docti.

Vocabulo δικαιοῦν utuntur Interpretes Alexandrini loco variorum verborum, in textu Hebr. obviorum, scil.: semel ubi est Rad. בָּחַן, bis pro רִיב in Kal, bis pro זָכָה in Kal et Phi'el, bis et vicies pro צָדַק in variis speciebus, et semel ubi occurrit nomen צֶדֶק. Fere semper significatio repetènda est a re forensi; ad sequentes enim classes omnes referri possunt loci. 1. Ubi δικαιόω significat *judicium fero*, 2. alicujus *causam ago* s. ejusdem jus tueor, 3. *justum* aliquem *habeo* vel *pronuntio*, 4. *condemno*, dum quinto loco accedit unum exemplum significationis *justum facio*. Jam sequatur singulorum locorum brevis conspectus.

1. Ad hanc classem unus tantum referendus est locus, 2 *Reg*. XV. 4. (2 *Sam*. XV. 4) ubi dicitur Absalomus populum invitasse ut ad ipsum suam quisque referret causam וְהִצְדַּקְתִּיו, LXX. vertunt καὶ ἐπ' ἐμὲ ἐλεύσεται πᾶς ἀνὴρ ᾧ ἐὰν ᾖ ἀντιλογία καὶ κρίσις καὶ δικαιώσω αὐτόν. Sententia postulat ut hic accipiatur vox δικαιώσω, sensu: *et cum judicem*, suadente tamen contexta oratione

ut explicetur, uti habet Vulgata: *juste judicem.*

2. Tribus locis δικαιοῦν significat *jus vindicare*, alicujus *causam agere*. Loci hi sunt *Jes.* I. 17. *Micha* VII. 9. *Psalm* LXXXI. 3. Singulos inspiciamus.

Jes. I. 17. רִיבוּ אַלְמָנָה. LXX vertunt δικαιώσατε χήραν. Vox רִיב a LXX modis perquam multis tranfertur saepissime vero per δικάζειν et κρίνειν. Formulae Hebr., hic obviae, significatio est: *causam agere* (saepius addito nomine רִיב, quo tamen omisso habetur, seq. accus. personae, e. g. *Jes.* LI. 22). Ex contexta oratione patet δικαιοῦν hic valere: *facere ut quis jus obtineat.*

Micha VII. 9. עַד אֲשֶׁר יָרִיב רִיבִי. LXX, ἕως τοῦ δικαιῶσαι αὐτὸν τὴν δίκην μου. Contextus docet hic exspectari judicium quo probetur Israëlitarum jus contra hostes, igiturque δικαιοῦν hic quoque valet: *jus vindicare.*

Psalm LXXXI. 3. עָנִי וָרָשׁ הַצְדִּיקוּ. LXX, ταπεινὸν καὶ πένητα δικαιώσατε, qui locus eodem modo explicandus est ac duo illa quae antecedunt.

3. Ad tertiam classem longe major pertinet locorum numerus, de quibus nunc agatur.

Micha VI. 11. הַאֶזְכֶּה בְּמֹאזְנֵי רֶשַׁע (an purus ero, cum bilance iniqua? — aut, interpuncto הַאֲזַכֶּה, numquid justificabo stateram impiam?" (Hier.) melius: „numquid justum dicam cum bilance iniqua?" praestat tamen lectio Mazor). LXX vertunt: εἰ δικαιωθήσεται ἐν ζυγῷ ἄνομος, unde apparet, illos, aut legisse in codice suo הֲיִזְכֶּה, aut locum non intellexisse. Haec tamen, quo-

modocunque accipias, ad vocis δικαιωθήσεται significationem non faciunt, quum ex bilancis figura sponte sequatur δικαιοῦν hic valere: *justum declarare*; scil., ἐν ζυγῷ apparebit illum esse ἄνομον, et hinc non diutius δίκαιος habebitur.

Gen. XXXVIII. 26. צָדְקָה מִמֶּנִּי. LXX δεδικαίωται Θάμαρ ἢ ἐγώ. Juda agnoscit Thamaram ipsum justitia superare: hinc unica voci δεδικαίωται tribuenda significatio est: *justa declarata est.*

Gen. XLIV. 16. מַה־נִּצְטַדָּק. LXX ἢ τί δικαιωθῶμεν; ratione habita praecedentium, scil., accusationis Josephi, Judaeque responsi, vs. 15 τί ἀντεροῦμεν τῷ κυρίῳ ἢ τί λαλήσομεν; patet Judam culpam agnoscere, neque conari ut illa liberetur: hinc δικαιωθῆναι h. l. unice significare potest: *insontem declarari.*

Exod. XXIII. 7. כִּי לֹא־אַצְדִּיק רָשָׁע. LXX aliam forsan secuti lectionem, habent καὶ οὐ δικαιώσεις τὸν ἀσεβῆ ἕνεκεν δώρων i. e. donis oblatis non commovebimini ut improbum *justum declaretis.*

Deut. XXV. 1. Hic agitur de judicio ferendo, orta lite in populo וְהִצְדִּיקוּ אֶת־הַצַּדִּיק. LXX καὶ δικαιώσωσι τὸ δίκαιον. Hoc loco δικαιοῦν etiam valere *justum declarare* patet tum ex eo quod judex tantum pronuntiare potest de culpa aut innocentia, tum ex opposito וְהִרְשִׁיעוּ καὶ καταγνῶσι.

3. *Reg.* VIII. 32. Locus ex celeberrima Salomonis precatione: rogat Deum ut improbo, qui falso dato ju-

rejurando, ad templum accedat, poenam retribuat: porro ut justum justificet: Hebr. וּלְהַצְדִּיק צַדִּיק. LXX. καὶ τοῦ δικαιῶσαι δίκαιον. Jam justus tantum justus declarari, non vero justus fieri potest: δικαιοῦν igitur h. l. significat, *justum declarare:* quod insuper quoque probatur verbis sequentibus, quibus indicatur quomodo illud δικαιῶσαι locum habere debeat, scil. δοῦναι αὐτῷ κατὰ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ i. e. ut ex justitiae retributione appareat illum esse justum.

2. *Chron.* VI. 23. est locus antecedenti parallelus, igiturque eodem modo explicandus.

Job XXXIII. 32. Excitat Elihu Jobum, ut verba faciat: „nam" ait „חָפַצְתִּי צַדְּקֶךָּ i. e. cupio te ipsum crimine te absolvere." LXX. habent λάλησον, θέλω γὰρ δικαιωθῆναί σε; vult igitur Elihu ut ex Jobi verbis appareat eum esse justum i. e. volo te *justum esse probari.* Jobi crimen indicatum est. c. XXXII. 2. scil.: Elihu iratus erat de Jobo עַל-צַדְּקוֹ נַפְשׁוֹ מֵאֱלֹהִים quia ipse se justum declaravit prae Deo; ibi autem eandem vocem (צדק in Phi'el) LXX vertunt: διότι ἀπέφηνεν ἑαυτὸν δίκαιον ἐναντίον κυρίου.

Psalm XVIII. 10. מִשְׁפְּטֵי יְהוָה אֱמֶת צָדְקוּ יַחְדָּו LXX vertunt, τὰ κρίματα κυρίου ἀληθινὰ, δεδικαιωμένα ἐπὶ τὸ αὐτό: probabile autem est illos aliam secutos esse lectionem, alioqui scripsissent: δίκαια εἰσιν. cf. *Job* IX. 2. 15. 20. X. 15. XV. 14. XXV. 4. XXXIII. 12. XXXIV, 5. XXXV. 7. De significatione vocis δεδικαιωμένα dubium moveri non potest, quum Dei judicia

justa *facta* esse dici nequeant; significat igitur *probata* sunt tamquam *justa*, eventus illa *justa esse declaravit.*

Psalm L. 6. לְמַעַן תִּצְדַּק בְּדָבְרֶךָ LXX. ὅπως ἂν δικαιωθῇς ἐν τοῖς λόγοις σου. In verbis quae praecedunt dicit poeta, se contra solum Deum peccasse, quamobrem vim particulae ὅπως non nimis urgere licet et forsan praestaret sensum hoc modo supplere: „confiteor peccata mea, ut cet." — δικαιωθῆναι procul omni dubio significat *justum esse probari*, Deus enim justus *fieri* dici nequit: contra si quis peccata agnoscit, horumque poenitentiam agit, eo ipso Dei, qui legem dedit peccata damnantem, proclamat sanctitatem et veracitatem.

Psalm CXLII. 2. Deus rogatur ne judicium cum peccatore ineat כִּי לֹא־יִצְדַּק לְפָנֶיךָ כָל־חָי. LXX ὅτι οὐ δικαιωθήσεται ἐνώπιόν σου πᾶς ζῶν. Quum hic agatur de judicio, dubium esse nequit quin verba οὐ δικαιωθήσεται significent: *insons*, *justus invenietur* s. *pronuntiabitur.*

Jes. V. 23. מַצְדִּיקֵי רָשָׁע עֵקֶב שֹׁחַד LXX. οἱ δικαιοῦντες τὸν ἀσεβῆ ἕνεκεν δώρων. Forsan locus alludit ad legis praeceptum, *Exod.* XXIII. 7. cf. supra, certe eodem modo explicandus; οἱ δικαιοῦντες τὸν ἀσεβῆ sunt qui improbum *justum declarant*, quique igitur juri vim inferunt.

Jes. XLIII. 9. יִתְּנוּ עֵדֵיהֶם וְיִצְדָּקוּ LXX. ἀγαγέτωσαν τοὺς μάρτυρας αὐτῶν καὶ δικαιωθήτωσαν. Ex testium testimonio probandum erat illos esse justos, scil.: deos gentilium veros esse deos, unde *justi declararentur.*

Jes. XLIII. 26. סַפֵּר אַתָּה לְמַעַן תִּצְדָּק LXX. vertentes λέγε σὺ τὰς ἀνομίας σου πρῶτος ἵνα δικαιωθῇς, supplendo τὰς ἀνομίας sensum corruperunt. Vocis autem δικαιωθῆναι significatio vindicanda est ex dicendi forma forensi, ita ut sit *culpa absolvi* s. *justum declarari.*

Jes. XLV. 25. בַּיהוָה יִצְדְּקוּ LXX. ἀπὸ κυρίου δικαιωθήσονται. Hic agitur de restituenda gratia divina erga populum Israëlis, qua, oppositis gentilium iniquitate et miseriis, apparebit eos justos esse, quaque igitur *justi declarabuntur.*

Jes. L. 8. קָרוֹב מַצְדִּיקִי LXX. ἐγγίζει ὁ δικαιώσας με. Usus aoristi hic minus est probandus, ὁ δικαιώσας h. l. est ille qui jus retribuit cui debetur, quique igitur justum, quem improbi opprimunt, cujusque alioqui latet justitia, tamquam *justum palam facit.*

Jes. LIII. 11. בְּדַעְתּוֹ יַצְדִּיק צַדִּיק עַבְדִּי לָרַבִּים וַעֲוֹנֹתָם הוּא יִסְבֹּל. LXX vertunt βούλεται κύριος .... δικαιῶσαι δίκαιον εὖ δουλεύοντα πολλοῖς, καὶ τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν αὐτὸς ἀνοίσει. Hic est locus classicus e V. T. in systemate eorum qui vocabulo δικαιοῦν tribuunt notionem *justum facere*, quem in finem provocant ad usum vocis Hebr. יַצְדִּיק hoc nostro loco obvium. Jam fatendum videtur, יַצְדִּיק hic significare *justos faciet*, ad quam sententiam praesertim movet proxime antecedens בְּדַעְתּוֹ, quum verba „eorumque ipse feret peccata" rite explicari possint, etiamsi illa *justum faciendi* notio non agnoscatur. Ab

altera autem parte constat vocis *δικαιοῦν* significationem nec hoc nec alio quocunque loco e textu Hebraïco, verum unice e versione Graeca repetendam esse. — Hanc autem ubi inspicimus, apparet LXX Interpretes aut aliam in suis codicibus invenisse lectionem, aut textum Hebr. non intellexisse. Ipsi in versione illud בְּרַעְתּוֹ cum orationis membro antecedenti conjunxerunt, atque יַצְדִּיק non ad justum, sed ad Deum retulerunt. Jam rogamus, quomodo is qui *δίκαιος* jam est *justus fieri* dici possit: haec igitur interpretatio, utpote sanae menti contraria, admitti quum nequeat, sequitur, etiamsi Hebraïco הַצְדִּיק significatio *justum faciendi* tribuatur, vel sic tamen Graeco *δικαιοῦν* et hoc loco significationem tribuendam esse quam in vers. Alex. fere ubique occurrere vidimus, hanc scil.: *justum habendi* s. *declarandi.*

Jer. III. 11. צִדְּקָה נַפְשָׁהּ מְשֻׁבָה יִשְׂרָאֵל מִבֹּגֵדָה יְהוּדָה LXX ubi vertunt *ἐδικαίωσε τὴν ψυχὴν αὐτοῦ Ἰσραὴλ ἀπὸ τῆς ἀσυνθέτου Ἰούδα*, textum Hebr. ita ad litteram sunt secuti, omisso tamen vocabulo מְשֻׁבָה, ut ex versione, si vel unus, non nisi perobscurus sit eliciendus sensus. Quum tamen vix aliquis justus aut purus esse dici possit ab alio quodam, melius congruit statuere „perfidus Juda" positum esse pro „Judae perfidia" a qua *justum se praestitit* s. *probavit* Israel: ni praeplaceat conjicere Interpretes, ubi usi sunt praep. *ἀπὸ*, id egisse ut formam comparationis in particula Hebr. מִן latentem, in versione retinerent.

Ezech. XVI. 51 et 52. bis. Formula Hebr. eadem est, scil. צדק in Kal et Phi'el. LXX vertunt: *ἐδικαίωσας τὰς ἀδελφάς σου ἐν πάσαις ταῖς ἀνομίαις σου αἷς ἐποίησας et καὶ ἐδικαίωσας αὐτὰς ὑπὲρ σεαυτὴν et ἐν τῷ δικαιῶσαί σε τὰς ἀδελφάς σου.* Tribus hisce effatis una eadem vocis *δικαιοῦν* inest significatio. Accusatur Hieros. talium flagitiorum, qualia ne Sodoma quidem aut Samaria commiserit; hinc illa ipsius sorores *justas* prae se *declarat;* cf. inprimis altera formula *ὑπὲρ σεαυτήν;* majori enim crimine commisso nemo suo absolvi aut justus fieri potest, sed, comparatione instituta, discrimen tale esse potest, ut unus prae altero *justus habeatur.*

Tandem omnibus hisce unus addendus est locus, *Jes.* XLII. 21. quo textus Hebr. non habet radicem צָדַק sed nomen צֶדֶק; ibi legitur יְהוָה חָפֵץ לְמַעַן צִדְקוֹ quod vertunt LXX *κύριος ὁ θεὸς ἐβουλεύσατο ἵνα δικαιωθῇ.* In promptu est Interpretes locum non intellexisse, sed quum Deus justus fieri dici nequit, *δικαιωθῆναι* hic necessarie significat *justum probari, justitiam suam manifestare.*

4. Ad quartam hancce classem unus tantum referendus est locus, quem tamen prae ceteris premunt difficultates. *Ezech.* XXI. 13. (*Hebr.* 18,) legitur כִּי בֹחַן וּמָה אִם - גַּם - שֵׁבֶט מֹאֶסֶת לֹא יִהְיֶה, quae ad litteram sonant „*nam exploratio:* (s. *exploratum est*) *ad quid? si quoque virga repudians; absit.*" Locum esse corruptum, quis diffitetur? — Quomodocunque enim vocem

בֹּחַן accipias, numquam exhibet sensum, sanum quem dicas. Locum igitur sanare conatus est Hitzigius in Comm. ad l. hoc modo: כִּי בֵחַן וּמָה אִם-גַּם-שֵׁבֶט מָאֶסֶת לֹא יִהְיֶה „*nam cur gratia* (leni modo, hoc facerem) *si quoque virgam repudiasti? — absit!*" LXX habent: ὅτι δεδικαίωται, καὶ τί εἰ καὶ φυλὴ ἀπωσθῇ; οὐκ ἔσται. Jam apparet illos locum non intellexisse, nam: שֵׁבֶט hic non est φυλὴ *tribus* sed *virga* qua castigatur; tum vox מָאֶסֶת (siquidem haec interpunctio ex vs. 10 repetita, in illorum codice affuit) non foret ἀπωσθῇ sed ἀπωθοῦσα *virga repudians*. Jam in promptu est illos quoque vocem בֹּחַן non intellexisse, nam si vel habeatur Pho'al a Rad. בָּחַן *exploravit*, verti non potest δεδικαίωται. Conjicio illos verba כִּי בֹחַן, ratione habita praecedentium, sumsisse sensu *condemnandi*, hoc quidem modo: *plaudite manu* (nam sic, lecto יָדְךָ pro יְרֵכְךָ, verterunt verba סְפֹק אֶל יָרֵךְ [*percute femur*] διὰ τοῦτο κρότησον ἐπὶ τὴν χεῖρά σου·) *quia* judicati, et *condemnati sunt*. Contexta vetat oratio quominus δεδικαίωται accipiatur sensu *explorandi*, *tentandi* (qui ceteroquin nullo jure voci δικαιοῦν tribui potest) quia judicium jam latum est, et appropinquat gladius qui poenam afferat.

5. Unus superest locus, *Psalm* LXXII. 13. אַךְ-רִיק זִכִּיתִי לְבָבִי. LXX ἄρα ματαίως ἐδικαίωσα τὴν καρδίαν μου. זָכָה in Kal est *purus fuit*, inde in Phi'el *purum fecit*.

LXX Phi'el vertunt, *Ps.* CXIX. 9.: κατορθοῦν τὴν ὁδὸν et *Prov.* XX. 9: ἁγνὴν ἔχειν τὴν καρδίαν, quibus locis collatis statuendum videtur δικαιοῦν hic valere *justum facere*, hoc modo: „frustra igitur *justum feci*, i. e. mundavi cor meum," quam sententiam probat membrum parallelum: καὶ ἐνιψάμην ἐν ἀθώοις τὰς χεῖράς μου.

Sic ad finem perduximus disquisitionem de usu voc. δικαιοῦν Interpretibus Alex. consueto: hac autem disquisitione probatum esse quod supra de notione voci illi tribuenda statuimus, quis negabit? — Nullius enim videtur pretii unus ille locus e Psalmo septuagesimo secundo, ratione habita ingentis numeri locorum qui perspicue docent δικαιοῦν in sermone Alexandrinis vulgari significare, *justum habere* s. *declarare*. Ne tamen quis dicat, concedendum esse versionem Alex. quoad verba, s. vocabulorum interpretationem, nostrae favere sententiae, contra vero, notiones auctoribus Hebraeis proprias, quasque assumserint Nov. Test. auctores, alteri potius favere interpretationi, idque comprobare Radicis צדק usum in variis speciebus. — Qui sic loquuntur, erroris convinci possunt, dummodo respiciatur formarum צִדֵּק et הִצְדִּיק, quae inprimis huc faciunt, in codice Hebraïco usus; conf. *Ezech.* XVI. 51, *Jer.* III. 11, *Job* XXXII. 2. XXXIII. 32, *Exod.* XXIII. 7, *Deut.* XXV. 1, *Jes.* V. 23, 2 *Sam.* XV. 4, *Prov.* XVII. 15, 1 *Reg.* VIII. 32, *Job* XXVII. 5, *Jes.* L. 8. — Nostrae sententiae obstant *Jes.* LIII. 11 et *Dan.* XII. 4. quae tamen impedire nequeunt quominus quisque, ni saltem

praejudicatis opinionibus agatur, ubi quaestio est quemnam LXX Interpretes voci δικαιοῦν tribuerint sensum nostrae assentiatur interpretationi.

Δικαίωμα. Hac voce utuntur Interpr. Alex. ubi codex Hebraïcus habet aut חֹק aut חֻקָּה aut מִצְוָה aut מִשְׁפָּט, praetermissis aliis quibusdam nominibus minoris habendis pretii. Singulos autem locos recensere longum est, neque nostro congruum proposito, quum vix quidquam valeant ad vindicandam justificationis notionem.

Δικαίωσις semel tantum occurrit *Lev.* XXIV. 22. ubi Cod. Hebr. habet מִשְׁפָּט, ibique valet *jus*, *judicium*. Cum hacce versionis Alex. interpretatione egregie conspirat usus vocabuli δικαιοῦν apud Veteris Test. scriptores apocryphos: sic *Syr.* I. 21: οὐ δυνήσεται θυμὸς ἄδικος δικαιωθῆναι, quod effatum illustratur sequenti: ἡ γὰρ ῥοπὴ τοῦ θυμοῦ αὐτοῦ πτῶσις αὐτῷ; respiciendus igitur eventus injustae irae; scil. clades quae necessario sequitur, *probat* illum esse *injustum*. Idem valet de caeteris locis omnibus, quos, ne diutius in templi limine moremur, indicare sufficiat, sunt scil.: *Tob.* XII. 4, *Syr.* VII. 5. IX. 15 (12). X. 32 (29). XIII. 24 (22). XVIII. 2. 22. XXIII. 11. XXVI. 31. (29). XXXI. (XXXIV). 5. XLII. 2. (ni ultimo hocce loco textus ita sit sanandus ut pro δικαιῶσαι legatur δικάσαι).

§ 3.

Usus vocabuli ΔΙΚΑΙΟΥΝ *in Novo Testamento.*

In fronte hujus paragraphi tantum de voc. δικαιοῦν actum iri indicavi, propterea quod vocc. δίκαιος et δικαιοσύνη eodem occurrunt sensu, quo et apud scriptores Graecos, et apud Interpretes Alex. usurpari vidimus. In N. T. δίκαιος dicitur ille, qui ab omni parte legi ipsi propositae respondet, homo integer, qui talis est qualis esse debet. Sic *Matth.* I. 19. Josephus dicitur δίκαιος et V. 45. distinguuntur δικαίοι et ἀδίκοι, scil. qui legis moralis effatis obtemperant et qui non respondent ideae hominis natura praediti morali: sic et ipse Jesus dicitur δίκαιος *Matth.* XXVII. 19. *Act.* III. 14. 1 *Joh.* II. 1, quin et idem de Deo valet. *Joh.* XVII. 25. 1 *Joh.* I. 9. Δικαιοσύνη autem est conditio, habitus τοῦ δικαίου. *Matth.* V. 6: οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην, sunt, qui ardenter tales esse cupiunt, quales esse debent. cf. vs. 20. *Rom.* VI. 16. 20. 2 *Tim.* II. 22 aliisque locis permultis. — Talis justitiae, vel potius, integritatis notio Judaeis familiaris fuit: sponte enim prodibat ex ratione quae intercedit Deum inter et hominem, sub lege viventem. De hac autem justitia sub lege, in Cap. II fusius agendi aderit opportunitas.

His igitur jam missis, quippe unanimi interpretum consensu probatis, accuratior instituenda est disquisitio

de notione vocis δικαιοῦν, quoties in Novi Testamenti scriptis occurrit, adscribenda. Hac autem paragrapho unice sermo erit de locis, qui non ad Pauli doctrinam de justificatione pertinent.

Matth. XI. 19. coll. *Luc.* VII. 35: καὶ ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς. Antecedit narratio de Johanne discipulos ad Jesum mittente, rogaturos sitne Messias nec ne. Jesus his respondens, ad Judaeos se convertit, eosque reprehendit quod nec Johannis, nec ipsius monitis obtemperaverint; Johannem respuerant ob severitatem, Christum autem ob liberaliorem vivendi rationem; „sed," inquit Jesus, „sapientia a suis ipsa filiis justificata est." Aoristum ἐδικαιώθη, quum neque praesentis, neque ejus quod fieri soleat (1) significationem habere possit, praestat referre ad antec. ἦλθεν κ. τ. ἑ., ita ut sermo sit de discipulis, qui Jesum a vitae inde publicae primordiis secuti erant. Praep. ἀπὸ causam h. l. remotiorem indicare videtur: discipuli enim Jesum non secuti erant ut ejus sapientiam justificarent, h.e. probarent, sed eo ipso, quod eum secuti erant justificata erat ejus sapientia. Ἡ σοφία quid sit, patet e nexu orationis: Jesus Judaeorum agendi rationem aequiparat puerorum stultitiae: huic opponitur sapientia in Christo recondita, qua igitur voce denotatur omnis veritatis divinae complexus. Jam sententia haec est: Judaei in Christo sapientiam non agnoverant, alioqui fidem illi habuissent; Jesu autem asseclae, quos hanc ob rem

(1) Cf. WINERUS, *Gramm.* § 41. 5. b. 1. et WETTIUS in l.

sapientiae vocat filios (cf. υἱὸς εἰρήνης *Luc.* X. 6) Jesu sapientiam tamquam talem i. e. revera esse sapientiam omnibus palam fecerant. Hinc ex illorum agendi ratione sapientia *justa declarata esse* dicitur. Significationem *justum faciendi* hic nullo modo in censum venire posse, jam inde patet quod sapientia suo jure justa est, neque justa fieri potest.

Matth. XII. 37. ἐκ γὰρ τῶν λόγων σου δικαιωθήσῃ. Agitur de pretio sermonis qualiscunque. Jesus verborum vim urgens docet hominem *die judicii* e sermone per vitam edito, absolutum aut condemnatum iri. Forma orationis prorsus est forensis: proponitur κρίσις, alter δικαιοῦται, alter καταδικάζεται. Jam apparet, δικαιωθῆναι hic nil aliud significare nisi *insontem*, *justum pronuntiari*. Judex enim non id agit ut hominem justum faciat, sed tantum quaerit sitne justus necne.

Luc. VII. 29. καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἀκούσας καὶ οἱ τελῶναι ἐδικαίωσαν τὸν θεόν. De contexta oratione vide ad *Matth.* XI. 19. — vs. 29 et 30 ab Evangelista Jesu verbis interpolata videntur. Dubium esse nequit quin δικαιοῦν hic sit Deum *justum habere* h. e. ejus justitiam agnoscere et *promulgare.* Populus enim audiens Johannis Bapt. praedicationem, agnovit justitiam Dei in consilio annuntiato mittendi Messiae, i. e. agnovit Deum revera talem esse, qualem esse Deo convenit, scil. populi sui servatorem; hinc Deum in consilio hocce exsequendo justum declaravit.

Luc. X. 29. ὁ δὲ θέλων δικαιῶσαι ἑαυτὸν κ. τ. ἑ. — Νομικὸς ille ne videretur Jesu proposuisse quaestionem nugatoriam, movet dubium de interpretanda voce πλη-

σίος, ut sic ipse inculpatum se probet atque speciem, se de re minime dubiâ quaestionem inutilem instituisse, a se amoveat. Hic δικαιοῦν prorsus convenit cum vocabulo vernaculo *verontschuldigen.*

Luc. XVI. 15. ὑμεῖς ἐστὲ οἱ δικαιοῦντες ἑαυτοὺς ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων. Reprehendit Jesus Pharisaeos, tamquam simulatores, qui coram hominibus ipsi justos se venditant; δικαιοῦν hic est, justitiae speciem induere, ita facere ut *justus habearis.*

Luc. XVIII. 14. κατέβη οὗτος δεδικαιωμένος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ ἤ γὰρ (hanc enim lectionem vindicant plurimi Codd.) ἐκεῖνος. Uti vox δικαιοῦν saepissime in Evang. Lucae occurrit, ita hic locus Pauli redolet doctrinam. Jesus utitur parabola ad refellendum errorem illorum qui sibi ipsi fidebant, ὅτι εἰσίν δίκαιοι, et in explicanda voce δεδικαιωμένος ratio habenda est precum vs. 11—13 memoratarum. Pharisaeus enim se tamquam justum coram Deo exhibet, portitor tamquam injustum, et peccatorum veniam implorantem. Sermo igitur non est de *faciendo* justo alterutro, sed de judicanda utriusque justitia coram Deo. Jam dicit Jesus portitorem humilis peccatorum confessionis causa, a Deo magis *justum habitum esse* quam Pharisaeum.

Locus ex *Apoc.* XXII. 11. hic in censum non venit, quia ibi loco receptae lectionis δικαιωθήτω ἔτι, legendum est δικαιοσύνην ποιησάτω ἔτι.

Transitum ad Pauli doctrinam parat locus ex *Act.* XIII. 39. καὶ ἀπὸ πάντων ὧν οὐκ ἠδυνήθητε ἐν νόμῳ Μωυσέως δικαιωθῆναι, ἐν τούτῳ πᾶς ὁ πιστεύων δικαιοῦται.

In vs. praec. dixerat Paulus per Christum homini contingere peccatorum remissionem; huic nunc adjungitur justificatio. — Quod ad dicendi formam pertinet statuendum videtur auctorem in mente habuisse dicere, sub lege hominem a re nulla justificari posse, in Christo vero ab omnibus peccatis; atqui inter scribendum, adhibita attractionis forma quadam, illud ὧν relatum esse ad πάντων. Formula ἀπό τινος δικαιωθῆναι non occurrit nisi hic et *Rom.* VI. 7. qui tamen locus potius ex hoc ipse lumen petat necesse est, quam ut huic illustrando inservire possit. Quaestio autem est quid hic sibi velit δικαιωθῆναι, utrum *justum fieri*, an *justum declarari*. Jam legis munus non cernitur in eo ut hominem justum faciat, sed unice, praeceptorum norma adhibita, lex hominis facta dijudicat, utrum sint justa an injusta: hominis autem natura ad peccatum proclivis causa est, cur ex legis decreto ipsius facta probari nequeant: homo igitur sub lege justus declarari non potest. Christo autem auctore, orta fide, homo peccati culpa absolvi, et sic a Deo *justus haberi* potest. Sic apparet hunc locum ex Pauli doctrina esse illustrandum.

Horum locorum interpretationi accedat brevis locorum expositio, qui, etiamsi in Pauli epistolis obvii, non tamen ad ipsius systema dogmaticum de justificatione pertinent.

Rom. II. 13. ἀλλ' οἱ ποιηταὶ νόμου δικαιωθήσονται. Hoc effatum ne referatur ad locos de justificatione vetant et contextus et sensus. In sectione enim I. 18. — III. 20 Paulus agit de homine, tam Ethnico, quam Judaeo,

a Deo secundum facta judicando. Verbis III. 21 νυνὶ δὲ χωρὶς νόμου δικαιοσύνη θεοῦ πεφανέρωται demum exponi coepit doctrina de fide justificante, qua deficiente, ex legis tam naturalis quam positivae norma hominum dijudicantur facta. Vocem autem δικαιωθῆναι hoc loco significare *justum haberi* vel *reputari* his tribus probatur argumentis: 1. quod vs. 12 opponitur κριθήσονται sensu *condemnandi;* 2. quod membrum parallelum habet δίκαιοι παρὰ τῷ θεῷ; 3. quod ὁ ποιητὴς νόμου suo jure δίκαιος est: non igitur opus est ut Deus justum illum faciat, quod ne fieri quidem potest; quomodo enim aliquis fieri possit, quod jam est?

Rom. III. 4. Proponitur quaestionum hominum ἀπιστία Dei πίστιν evertere non possit? — Respondet Paulus: μὴ γένοιτο: Deus enim verax est, etiamsi omnes homines fraudem committant. Hanc affirmat auctor sententiam, allatis verbis ex *Psalm* LI. 6: ὅπως ἂν δικαιωθῇς ἐν τοῖς λόγοις σου. Vocem δικαιωθῆναι hic significare *culpa* ab aliis inflicta *liberari* igiturque *justum pronuntiari*, jam supra indicatum est. Accedit in membro parallelo haberi νικῆσαι ἐν τῷ κρίνεσθαι.

1 *Cor.* IV. 4. οὐδὲν γὰρ ἐμαυτῷ σύνοιδα, ἀλλ' οὐκ ἐν τούτῳ δεδικαίωμαι. Hic non tractatur doctrina de justificatione, sed Paulus, ex universali legi morali, dicit se non propterea culpa liberum esse, quia conscientia eum non accusat. Δεδικαίωμαι hic non est *justus sum* sed *justus habeor* coram judicio divino, de quo dein sermo est. Ubi autem δικαιοῦν ad judicis refertur partes, numquam illa *justum faciendi* admittenda est significatio.

1 *Tim.* III. 16 : ὃς ἐφανερώθη ἐν σαρκί, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι. *Ille qui apparuit in carne*, atque sic nil quidquam habuit quo ex hominum judicio prae caeteris excellebat *justificatus est in spiritu*, i. e. principio spirituali, quod ipsi inhabitans in illius communione Ecclesiae traditum fuit, qua via auctor exstitit summorum operum, omnibus palam factum est, eum revera esse justum : ἐν πνεύματι *justus declaratus est.*

Ex tota hac disquisitione perspicue elucet voci δικαιοῦν semper eam significationem tribuendam esse, forensem quam nuncupant dogmatici. Jam via parata est, qua progrediamur ad ipsam Pauli doctrinam investigandam.

§ 4.

Applicatio significationis verbi δικαιοῦν in locos Paulinos de justificatione.

Apparuit ex disquisitione in § 3. instituta Paulum voce δικαιοῦν, ubi non ipsius tractatur systema dogmaticum de justificatione, non nisi significatione forensi uti. Jam in promptu est conjicere non aliam illum secutum fuisse rationem in exponenda doctrina dogmatica. Atqui ne praejudicatis agi videamur opinionibus, antequam de ipsa dicam doctrina, examen instituendum videtur de locis ad justificationem pertinentibus, hoc scilicet consilio, ut inquiratur, an non ex ipsis his

locis enucleare liceat significationem vocis δικαιοῦν Paulo consuetam.

Rom. III. 24. dicuntur omnes homines, iique peccatores (vs. 23. πάντες ἥμαρτον) δικαιοῦσθαι Dei gratia. Hic non agitur de hominis emendatione morali, sed de nova ratione quae Deum inter et hominem intercedit: ἱλαστήριον enim, i. e. sacrificium piaculare quod in Christi morte obtigit, dicitur causa, qua homines justificantur. Jam sacrificii notio referri nequit ad hominis perfectionem moralem, quum tantum inserviat delendae culpae conscientiae e prioribus ortae peccatis, novoque inaugurando foederi cum Deo. Haec autem probant δικαιοῦν hoc loco unice significare posse *justum habere* vel *pronuntiare.* Idem confirmat sectio vs. 25, 26. qua agitatur quaestio, quomodo Deus salva sua justitia, hominem, fide cum Christo conjunctum, etiamsi peccati servituti nondum plane sit ereptus, possit δικαιοῦν. Haec tamen quaestio prorsus inanis foret, nisi δικαιοῦν significaret *justum habere:* quo enim modo aliquis objicere posset: Dei repugnare justitiae, si hominem, peccato subditum, justum *faciat?*

Rom. VIII. 33. voci δικαιοῦν opponitur ἐγκαλεῖν κατά τινος, i. e. accusationem movere contra aliquem: hinc δικαιοῦν est, *justum declarare.* Cum hoc loco conferri meretur *Rom.* V. 16 quo sibi opponuntur κατάκριμα et δικαίωμα. Sic quoque 2 *Cor.* III. 9: ἡ διακονία τῆς κατακρίσεως et ἡ διακονία τῆς δικαιοσύνης.

Inprimis autem in censum hic veniunt loci illi, quibus notio τοῦ δικαιωθῆναι circumscribitur verbis ἡ πίστις

λογίζεται εἰς δικαιοσύνην aut nude ὁ Θεὸς λογίζεται δικαιοσύνην, cf. *Rom.* IV. 3. 5. 6. 9. 10. 11. 22. 23. 24. *Gal.* III. 6. *Rom.* IV. 2. sumitur Abrahamum δικαιωθῆναι; quaestio tantum est utrum ex operibus an ex fide? — respondetur: ἐπίστευσεν Ἀβραὰμ τῷ Θεῷ καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην· sponte sequitur δικαιωθῆναι et λογισθῆναι εἰς δικαιοσύνην formulas esse ejusdem significationis. — Melius etiam haec vocis δικαιοῦν significatio probatur ex vs. 6, ubi Paulus in eodem tractando argumento de justificatione pergit atque pro voce δικαιοῦν formula utitur λογίζεσθαι δικαιοσύνην. Jam videant, quomodo cum hac Pauli sententia, suam in concordiam redigant, alius interpretationis fautores.

Gal. III. 11. occurrit formula δικαιοῦσθαι παρὰ τῷ Θεῷ, i. e. coram Deo, in Dei judicio לִפְנֵי יְהוָה. Apparet hic quoque unice congruere significationem: *justum habere.*

Cum hac Pauli dicendi ratione egregie convenit modus quo Jacobus in Epist utitur voce δικαιοῦν. Obstat Calvini sententia qui in *Jac.* II. 21. annotat.: „justificandi verbum Paulo esse gratuitam justitiae imputationem apud Dei tribunal; Jacobo autem esse demonstrationem justitiae ab effectis, idque apud homines." Ne tamen cum summo viro faciamus, vetat *Jac.* II. 23, ubi vocem ἐδικαιώθη ipse Jacobus interpretatur hoc modo: ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην. Neque hanc justificationem tantum coram hominibus valere, probant verba: φίλος Θεοῦ ἐκλήθη.

Sic jam constare videtur Paulum in ipsa doctrina de justificatione, eandem illam adhibere vocis δικαιοῦν significationem, quam et alibi ipsi consuetam esse vidimus, ita ut tuto statuere liceat, quoties dicitur Deus δικαιοῦν τὸν ἐκ πίστεως, haec verba interpretanda esse: Deum *justum habere* et *declarare* illum qui est e fide.

Hisce praemissis jam accedere licet ad ipsam justificationis notionem accurate definiendam. Quamvis enim germana vocis δικαιοῦν interpretatio omnis disquisitionis fundamentum dici possit, haec tamen non sufficit: restat ut ex locis Pauli, huc pertinentibus, efficiamus, quomodo haec justificatio locum obtineat in homine, tum quonam necessitudinis vinculo, e mente auctoris, conjungatur cum ceteris beneficiis homini in Christo paratis, quonam nitatur fundamento, cet. Eandem, quam hactenus, nunc quoque secuturus sum viam; hanc scilicet, qua ope grammatices, ceterorumque interpretationis subsidiorum, ex ipsius Pauli scriptis ejusdem sententiam de re proposita efficiam. Celebrior hac in re est Epistola ad Romanos, cujus igitur doctrina nunc in examen est vocanda.

Ubi Paulus, solita in fronte Epistolae praemissa salutationis formula, verba facere coepit de laudis testimonio a toto mundo, coetui Romano exhibito, hisque dixit quanto feratur desiderio ut ipse Romam iter faciat εἰς τὸ συμπαρακληθῆναι διὰ τῆς ἐν ἀλλήλοις πίστεως, statim abripitur ad argumentum enuntiandum totius Epistolae, quod tamquam thema ceteris omnibus praeponit, his quidem verbis: οὐ γὰρ ἐπαισχύνομαι τὸ εὐαγγέλιον· δύναμις γὰρ θεοῦ

ἐστὶν εἰς σωτηρίαν παντὶ τῷ πιστεύοντι, Ἰουδαίῳ τε πρῶτον καὶ Ἕλληνι· δικαιοσύνη γὰρ Θεοῦ ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται ἐκ πίστεως εἰς πίστιν, καθὼς γέγραπται Ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται I. 16, 17. De formulis δικαιοσύνη Θεοῦ et ἐκ πίστεως εἰς πίστιν, infra in Cap. II et V, agendum erit: hic autem sufficiat indicare δικαιοσύνην Θεοῦ, esse illam conditionem hominis qua justus coram Deo habetur, eamque dono divino acceptam. Haec δικαιοσύνη, ἀποκαλύπτεται: κάλυμμα enim quo obtegebatur fuit humani generis ἁμαρτία, quam subsequitur ὀργὴ Θεοῦ. Haec autem δικαιοσύνη Θεοῦ ante Christum non aderat, nam et Judaei et gentiles non nisi Dei ira digni erant et perpauci tantum fuerant, qui, uti Abrahamus, πίστιν habuerint, propter quam a Deo justi haberi potuissent: germana igitur ratio Deum inter et hominem non exstabat. In hisce exponendis versatur Apostolus sectione I. 18 — III. 20; tum vero redit ad argumentum I. 17. enuntiatum: sectione III. 21—24. uberius explicatur quod I. 17. dictum erat. Si jam instituitur utriusque loci collatio, apparet verbis δικαιοσύνη Θεοῦ hic addi χωρὶς νόμου quod alibi, III. 28. *Gal.* II. 16. describitur formulis: οὐκ ἐξ ἔργων νόμου et χωρὶς ἔργων νόμου: his autem non indicatur, eum, qui justificatus est, opera legis non complere, sed tantum hoc, opera legis in justificando homine coram Deo non tamquam causam efficientem admitti; excluditur obedientia legi praestita non tamquam indicatio justificationis peractae, sed tamquam causa justificationis peragendae. Porro loco vocis ἀποκαλύπτεται, *Rom.* III. 20 habetur πεφανέρωται, qua voce

indicari censeas justitiae verae, quae fide continetur, manifestationem homini extrinsecus factam per praedicationem Euangelii; quum voce ἀποκαλύπτεται indicetur ejusmodi justitiae (antea sub peccati καλύμματι latentis) revelatio, qua, vera justitia, non externâ tantum descriptione, qualis in Euangelii praedicatione obtinet, sed ipso facto in lucem prodeat. Scilicet cum ex Pauli sententia πίστει ipsa contineatur justitia, quae Deo est accepta, (δικαιοσύνη πίστεως = δικαιοσύνη Θεοῦ) hoc ipso quod fides existere coepit (ἀποκαλύπτεται *Gal.* III. 23. (1)) ipsa etiam ἀποκαλύπτεται δικαιοσύνη Θεοῦ. Merito igitur ἡ δικαιοσύνη Θεοῦ, per Euangelii praedicationem πεφανερωμένη, dicitur ἀποκαλυφθῆναι per *fidem*; siquidem exortâ fide effectum demum erat, ut vera justitia, quae sub legis atque peccati dominio exstitit quidem (potentiâ scil., atque in nonnullis), sed latuit, sublato per fidem peccati καλύμματι, quo antea operta esset, reapse existere et foras prodire coeperit. Eximii usûs hîc esse verbum ἀποκαλύπτεσθαι quisque videt. Euangelium scilicet, quatenus veram justitiam describat (φανεροῖ) hoc uno nondum δύναμις εἰς σωτηρίαν esse posset. Euangelium vero, quo fit, ut una cum fidei principio vera justitia (demto peccati καλύμματι) in homine existat, hoc ipso etiam efficaciter ad salutem homines adducit.

Porro, quum δικαιοσύνη, de qua III. 21. sermo est, existere s. acquiri dicitur διὰ πίστεως, observandum est,

---

(1) Conf. Doct. F. G. B. van Bell, *Disput. theol. de patef. Christ. indole*, Lugd. 1819. p. 62 sq.

fide contineri justificationis causam, q. d. subjectivam, dum objectiva justificationis causa in Christi sacrificio, ἐν τῇ ἀπολύτρωσει τῇ ἐν Χρ. Ἰ. a Paulo ponitur. Per redemptionem scil. justificatio objective exstitit, quatenus per ἱλαστήριον Christi effectum erat, ut a parte Dei justus haberi homo posset; per fidem autem subjective existit quatenus quisque per fidem justificationis compos fiat. Objective necessaria fuit ἀπολύτρωσις, alioquin homines a Deo justi haberi non potuissent; subjective homini necessaria est fides, qua in communionem ingrediatur cum Christo, i. e. in illam conditionem, qua justus a Deo habetur. (Cf. infra cap. III. ubi simul de formula πίστις Ἰησοῦ Χριστοῦ agendum erit). Addit Apostolus: εἰς πάντας καὶ ἐπὶ πάντας τοὺς πιστεύοντας· Justificationem tantum iis contingere, qui fidem habent, vix opus fuit dicere; sponte haec ex antecedentibus intelliguntur; his vero verbis novae religionis character exprimitur universalis; inter praepositiones εἰς et ἐπὶ hoc loco vix discrimen admittendum videtur, ni forte hoc, ut εἰς referatur ad internam fidei existentiam, ἐπὶ ad externam ejusdem apparitionem. Vs. 23mo et 24mo verborum ordo explicatione eget: proprie omnis orationis vis collocanda erat in τῷ δικαιοῦσθαι; contra ἥμαρτον est tempus finitum, δικαιούμενοι participium, igiturque tempus infinitum; ratio haec inversa inde explicanda videtur, quod Apostolus in his scribendis verbis ante oculos habuerit hominum vitiositatem, de qua egit sect. I. 18. — III. 20., monente tamen contexta oratione, ut in explicandis verbis, τὸ δικαιοῦσθαι habeatur princeps orationis argumentum. Per peccatum,

cujus unusquisque reus erat, omnes ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ θεοῦ i. e. orbantur gloria, laude, approbatione, qua Deus remuneratur vitae puritatem. Jam vs. 24^mo^ tota doctrina de justificatione, veluti in compendium redacta, continetur: δικαιούμενοι opponuntur τοῖς ὑστερουμένοις τῆς δόξης τοῦ θεοῦ: justificatus enim homo in illa versatur conditione, qua Deo placere potest: δωρεὰν indicat *modum* quo justificatur homo, scil. gratis, sine ulla retributione, ita ut omnis excludatur gloriatio vs. 27, exclusis operibus legis; qua sententia simul statuitur, fidem quoque meriti naturam habere non posse; alioqui non esset δωρεὰν et gloriandi causa esset. Verbis τῇ αὐτοῦ χάριτι indicatur *causa* justificationis, primaria quam vocant dogmatici: διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως dicitur de *medio* s. de causa instrumentali, quacum subjective convenit fides: ἀπολύτρωσις igitur medium est per quod justificatio oritur ex causa principe, quae est Dei gratia. Nisi homo in Christo a peccati dominio redemptus sit, justificari nequit. Sectionibus denique 25 et 26 agitatur quaestio, quomodo justificatio, salva Dei sanctitate, locum habere possit, de qua agendum erit cap. V^to^. Jam si haec omnia colligimus, apparet justificationem in eo cerni, ut *homo a Deo justus habeatur, idque gratis, excluso omni operum merito, sola Dei gratia, causa instrumentali interposita redemptione in Christo cujus homo fide particeps est.*

Exorta quaestione, an non sic lex in nihilum redigatur, respondet Apostolus, legem ita demum vindicari, quia ipsa lex (quo nomine hic tota Veteris Foederis indicatur oeconomia) jam hocce fidei principium tamquam justifi-

cationis legem proposuerat, ad quam sententiam probandam testes proferuntur Abrahamus et Davides. Haec etiam argumentatio nobis inservire potest ad illustrandam justificationis notionem. Abrahamum ex fide, non ex legis operibus justificatum esse, probatur duabus sententiis IV. 4. 5. scilicet: Ille qui implendis legis operibus justificari cupit (*ὁ ἐργαζόμενος*) mercedem accipit non e gratia sed e debito. Qui vero non operum meritis nititur, sed fidem habet illi qui peccatorem justificat, huic fides ad justitiam imputatur. In altera hac sententia duriori utitur Paulus dicendi ratione: attamen observandum est, eum non dicere *ὁ οὐκ ἐργαζόμενος* sed *ὁ μὴ ἐργαζόμενος*, quae negatio est relativa, ita explicanda: ille qui ipse se non *ἐργαζόμενον* prodit. Deum *τὸν ἀσεβῆ* justum habere, absolute verum non est: relative autem, ita ut in illo *ἀσεβεῖ* adesse censeatur fides, nil quidquam habet, quod veritati repugnet: haec tamen distinctio bene est tenenda, ne, ex Salomonis sententia, (*Prov.* XVII. 15: *ὃς δίκαιον κρίνει τὸν ἄδικον — ἀκάθαρτος καὶ βδελυκτὸς παρὰ θεῷ*) Deus coram se ipso *βδελυκτὸς* sit dicendus. Porro duae hic occurrunt formulae, quarum utraque ponitur loco vocis *δικαιοῦν* scil. *ἡ πίστις λογίζεται εἰς δικαιοσύνην* et *ὁ θεὸς λογίζεται δικαιοσύνην*, quarum haec illâ illustratur; *δικαιοσύνη*, ut vidimus, est habitus hominis in recta cum Deo versantis conditione: hic habitus a Deo imputatur: quo autem modo? — respondet formula: *ἡ πίστις λογίζεται εἰς δικαιοσύνην*: *πίστις* autem, ut vidimus, et ut dein in cap. III. clarius etiam patebit, est conditio necessaria, sive causa media, qua

homo, apprehensa redemptione in Christo, justificatur. Haec conditio ubi adest, imputatur in justitiam, i. e. a Deo consideratur aeque ac si ipsa perfecta esset justitia; ita de Abrahamo statuitur, idemque de homine Christiano valere, patet ex vs. 23. Accedit igitur ad ea, quae de justificatione statuenda esse vidimus, *contingere eam per modum imputationis*, ex quo iterum patet justificationem donum esse Dei. Fides autem illa, quae imputatur in justitiam, IV. 24. describitur tamquam πίστις ἐπὶ τὸν ἐγείραντα Ἰησοῦν τὸν κύριον ἡμῶν ἐκ νεκρῶν, ὃς παρεδόθη διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν καὶ ἠγέρθη διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν, unde apparet fidem justificantem esse fidem Deo habitam. Non tamen abundare videntur quae adduntur de Jesu in vitam reduce: ni enim peculiaris huic resurrectioni tribuendus esset sensus, non liquet cur Apostolus fidem hoc modo descripserit. Christi vero resurrectio in Pauli doctrina arctissime conjungitur cum vitae renovatione; quemadmodum enim Christo e morte reduci cum nullis amplius peccati illecebris luctandum erat (τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν VI. 10.), ita quoque omnes qui fidem illi habent, in communione Christi mortui et in vitam reducis, novam ineunt vitam, in qua omni peccati dominio liberi evadunt VI. 6, ita ut dein ἁμαρτωλοὶ dici nequeant, quin, ex Johannis sententia peccare omnino nequeant (πᾶς ὁ ἐν αὐτῷ μένων οὐχ ἁμαρτάνει, 1 *Joh.* III. 6.). Ex hac autem justificationis conjunctione cum Christi resurrectione conjici posset justificationem inprimis pertinere ad vitae renovationem, ita ut justificatio eodem rediret atque

sanctificatio. Haec vero sententia repugnat significationi vocis δικαιοῦν, cui nullam *justum* aut *sanctum faciendi* inesse vidimus notionem: conferri autem debent cum nostro loco quae habentur V. 9: πολλῷ οὖν μᾶλλον δικαιωθέντες νῦν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ σωθησόμεθα δι' αὐτοῦ ἀπὸ τῆς ὀργῆς, ubi igitur justificatio arctissime copulatur cum Christi morte, cui in Pauli doctrina, peculiaris tribuitur vis ad delendam culpam (1). Mortem Christi hic opponi ejus resurrectioni vitaeque coelesti, apparet ex vs. 10, ubi contexta oratio, haud minus quam solita Pauli dicendi ratio, docet, verba ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ accipienda esse de vita gloriosa, quam Christus e morte redux degit apud Patrem. Haec autem ζωὴ refertur ad τὸ σωθῆναι, quod accurate destinguitur a τῷ δικαιωθῆναι. Sic quoque *Rom.* IV. 6 sq. Paulus illud λογίζεσθαι δικαιοσύνην, quod prorsus convenire vidimus cum τῷ δικαιοῦν, unice refert ad peccatorum remissionem. Quonam autem modo haec in concordiam redigi possunt cum doctrina exposita, sectione IV. 24. 25.? Hoc modo, ut neutrum excludatur, neutrum vero nimis prematur. Statuendum est totam Christi apparitionem, vitam in terris, quaeque ad illam pertinet, mortem in cruce, haud minus quam resurrectionem, atque vitam exinde ortam, quam vivit apud Patrem, cum justificatione conjungenda esse. Apostolus autem pro vario scribendi argumento, nunc hanc nunc illam so-

(1) Conf. quae de priva hac Christi mortis significatione habet Usteri, *Entwickelung des Paul. Lehrbegr.*, Edit. VI, p. 134 sqq.

lam proponit partem: neque ipsius tempore jam tanti habebantur logices in dicendo leges, ut auctor ob liberiorem verborum usum accusari posset. Iis quae hactenus ad justificationis notionem pertinere vidimus, accedit igitur: justificationem non ad unam alteramve partem operis Christi referri posse, sed *causam justificationis instrumentalem in tota Christi apparitione haberi, ejusque opere et in terris et in coelis.*

Rom. V. 12—21 instituitur comparatio Adamum inter et Christum: uterque caput habetur unius hominum generis, ita ut non tantum hi ab illo nomen habeant, sed vitae communione idem principium quod in capite adest, in utriusque corporis quoque adsit membris. Vs. 15—17 exponitur qua in re inter se discrepent communio cum Adamo eaque cum Christo, idque praesertim in utriusque cernitur fructibus. Sic sibi opponuntur: *οἱ πολλοὶ ἀπέθανον* et *ἡ χάρις τοῦ θεοῦ καὶ ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τοὺς πολλοὺς ἐπερίσσευσεν· — τὸ κρῖμα ἐξ ἑνὸς εἰς κατάκριμα* et *τὸ χάρισμα* (s. *τὸ δώρημα*) *ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων εἰς δικαίωμα; — ὁ θάνατος ἐβασίλευσεν διὰ τοῦ ἑνὸς* et (mutato verborum ordine) *ἡ ζωὴ ἐβασίλευσεν διὰ τοῦ ἑνὸς Ἰησοῦ Χριστοῦ.* Vs. 18. 19 indicatur qua in re conveniant comparationis partes, de quo loco agendum erit in hujus capitis § 5. Ex his igitur apparet Paulum duas cogitare hominum series, quarum utraque suum habet characterem. Alterius, cujus caput est Adamus, character hic est, quod omnes uno peccati vinculo conjungantur, ejusque fructum i. e. mortem percipiant: alte-

rius autem seriei, a Christo scilicet originem ducentis, character hic est, quod omnes peccati dominio liberati sint, idque ex gratia divina, dono oblata, quo fit ut omnes coram Deo justi habeantur. Ad justificationis igitur notionem et hoc accedit, *illam niti communione Christi cum fidelibus*, qua hi veluti corporis sunt membra, cujus ipse caput est.

Rom. VIII. 29. 30. δικαίωσις recensetur inter praedestinationis momenta: hujus autem consilium est ut omnes σύμμορφοι fiant τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ; antecedit justificationi ἡ κλῆσις, ita ut illa necessario ex hac sequatur. Apparet inde vocatione non tantum invitari sed adduci hominem ad salutem; quo ipso omne hominis meritum excluditur.

Porro huc referendi sunt loci ex Epist. ad Galatas II. 16. 17. III. 6—14. 24. V. 4., qui tamen, utpote plus ad justitiae legalis et fidei notionem pertinentes quam ad justificationis notionem illustrandam, opportunius in cap. II et III explicari poterunt.

Tit. III. 5 sq.: κατὰ τὸ αὐτοῦ ἔλεος ἔσωσεν ἡμᾶς — ἵνα δικαιωθέντες τῇ ἐκείνου χάριτι κληρονόμοι γενηθῶμεν κατ' ἐλπίδα ζωῆς αἰωνίου. Justificationi hîc antecedit τὸ σωθῆναι, quae salus cujusmodi sit, patet ex adjectis διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου.

Sic jam eo pervenimus, ut notionem justificationis e mente Pauli exhibere possimus. Deus ubi δικαιοῦν τὸν ἄνθρωπον, vel ubi homo δικαιοῦσθαι dicitur, his formulis unice exprimitur *ratio* s. *relatio* q. d., *quae intercedit Deum inter et hominem*, *haec nimirum qua Deus ho-*

minem justum habet, quaque homo vera justitia ornatus coram Deo prodit. Haec ratio s. relatio niti potest aut hominum meritis aut gratia divina. In Christo et in homine, si vel unus fuisset, qui Dei legem seu Mosaïcam, seu universalem, prorsus implevisset, relatio illa non nititur dono divino, sed jure sequitur ex hominis perfectione Deique justitiâ in illa agnoscenda. Ubi autem homo non est perfectus, igiturque loco meritorum non habet nisi culpam, ex legis negligentia contractam, quam Deo offerat, Deus non nisi gratiae dono hominem justificare potest, et sic quidem, ut aliquid in homine, scil. fidem Deo habitam Deoque debitam tamquam justitiam consideret. Causa justificationis igitur est in Dei gratia, quae ipsius nititur beneplacito aeterno. Medium autem objective spectatum est redemptio in Christo oblata, subjective fides qua homo salutem in Christo apprehendit, quaeque ipsa fides a Deo imputatur ad justitiam, per vitae communionem quae Christum inter et fideles intercedit. Justificatio igitur quum unice sit referenda ad rationem Deum inter et hominem, illam nempe qua homo justus a Deo habetur, injuria dicitur actus Dei quo homines in illa *ponit* conditione in qua justi a Deo habentur, quia ille actus justificationis causa est habendus, non vero ipsa dicendus justificatio. Strenue hic vindicandum est discrimen inter *actum* Dei *efficientem* hominum salutem, et *actum* Dei *declaratorium* quo fideles justos declarat, ad quos inter se confundendos ne summi quidem movet SCHLEIERMACHERI auctoritas. Neque sic dici potest justificatio hac

illave parte contineri salutis per Christum paratae, quemadmodum nonnulli illam peccatorum remissione, alii adoptione in filios, alii harum utrâque constare perhibent; nec apte ad hanc illamve partem operis Christi in terris, ad statum aut inanitionis aut exaltationis refertur, quemadmodum in doctrina Apostolica peccatorum expiatio arcte cum Christi morte, renovatio autem cum Christi resurrectione, vitaque ejus coelesti solent conjungi; justificatio enim, si rogamur quonam necessitudinis vinculo cohaereat cum salute per Christum parta, hujus dicenda est effectus; sic vero ad totam Christi referenda apparitionem est, ita ut vitam in terris actam haud secus atque mortem in cruce, novamque vitam, quam vivere coepit Christus e morte redux, causam habeas vel medium, quo homo a Deo justus habetur; quemadmodum enim fide totum amplectitur Christum homo, sic quoque ex conjunctione cum toto Christo Deus τὸν ἐκ πίστεως justum habet. Denique sic apparet, doctrinam de justificatione ex Pauli cogitandi ratione non confundendam esse cum doctrinâ de poenitentia, de peccatorum remissione, de nova vita Christiana, sed illam tamquam culmen totius doctrinae ceteris omnibus esse apponendam, quippe qua doceatur quaenam intercedat ratio s. relatio Deum inter et hominem qui in communione cum Christo Deo fidem habet.

§ 5.

Objectiones.

Multa sunt quae per varia tempora sive majore sive minore verosimilitudinis specie huic objecerunt interpretationi viri docti. Singulorum autem referre sententias longum foret, nec parum a proposito alienum. Nam ut in Introïtu dictum est, speciminis nostri argumentum mere habendum exegeticum est, dogmaticum vero eatenus, quatenus varia Pauli Apostoli inter se sunt conjungenda effata, atque in systema redigenda. Quum igitur dogmatis historiam scribere hujus loci non sit, varia argumenta dogmatica, quibus mea impugnatur sententia praetermittere licet: contra illa sunt memoranda dubia, quae ex ipsa Sacra Scriptura hausta, faciunt ad illustrandam τῆς δικαιώσεως notionem. Primum hîc in censum veniunt loci dubiae interpretationis, deinde sunt audiendi testes, qui propositam interpretationem improbare videantur.

In numerum locorum, de quorum dubitatur interpretatione, referendus est *Rom.* VI. 7: ὁ γὰρ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, quem explicant nonnulli: ille qui mortuus est, liber est a peccato, scil. non dein peccat; sic vox δικαιοῦν prorsus convenit cum ἐλευθεροῦν et *liberum faciendi* nanciscitur significationem; sic autem usus vocis δικαιοῦν hoc loco prorsus repugnaret solito ipsius usui in Pauli scriptis. Examinandus igitur est

locus, tum quoque oratio qua continetur, ut appareat sitne illa probanda interpretatio. Jam statim elucet particulam γὰρ indicare, sententiam vs. 7 exhibitam inservire probandis iis quae docuerat Apostolus vs. 6. Ibi autem dixerat hominem Christianum, cum Christo cruci affixum, hujus participem esse mortis, quatenus corpus, quod sedes est peccati, deletum est, ita ut cessarit peccati servitudo. Ubi igitur auctor sententiam vs. 7 argumenti instar affert, in promptu est vocem ἀποθανὼν non alio sumendam esse sensu, quam quo habetur vs. 6: fieri quidem potest ut vs. 7 offeratur gnomon ex ore populi desumtum, et ut huic illud ἀποθανὼν acceptum fuerit sensu mortis physicae, sed tum quoque statuendum est, Paulum hujus vocis vim ita mutasse ut hîc unice accipere eam liceat de morte qua quis peccati dominio liber evadit. Porro ἡ ἁμαρτία in tota hacce oratione usurpatur de peccato tamquam principio homini inhaerente, quare eadem formula δικαιοῦσθαι ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας ubi occurrit, Sirac. XXVI. 29 et *Act.* XIII. 38. 39, in nostro illustrando loco pondere caret, quia ibi agitur de peccati culpa homini adhaerente. His autem praemissis jam videndum est quid de loco sit statuendum. Δικαιοῦν hic non idem est ac ἐλευθεροῦν: alioqui non liquet quare auctor hanc non usurparit vocem, quemadmodum illam habet vs. 18; ex eo ipso praeterea, quod usus est voce δικαιοῦν, apparet, aliud quid hîc ipsum in mente habere. Homo qui in Christi communione mortuus peccato est, revera quidem a peccato veluti a domino suo liber est; neque tamen sic tota sententiae

exprimitur vis, nisi addatur illa notio forensis, quam ubique voci *δικαιοῦν* inesse vidimus. Ex Pauli scilicet sententia res agitur inter hominem et *τὴν ἁμαρτίαν;* eo quod homo in Christo *τῇ ἁμαρτίᾳ* mortuus est, non tantum ab hac liber evadit, sed etiam *ἡ ἁμαρτία*, tamquam pristinus hominis dominus ac creditor, jam porro omni jure in hominem orbata declaratur; veluti judicis sententia, homo liber s. justus *declaratur* a peccato, neque habet peccatum quae dein ab homine postulet.

Porro huc refertur locus *Rom.* IV. 25: *ὃς παρεδόθη διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν καὶ ἠγέρθη διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν*, qui locus non adeo dubiae dicendus est interpretationis, verum ex arctiori resurrectionis cum justificatione nexu nonnullis visus est meae repugnare interpretationi. Dubium autem hocce jam § 4. memoratum est, ibique ex aliis locis illustratum. Addimus resurrectionem Christi summo quoque jure ad justificationem trahi, quod vel inde patet, quod, ut vidimus, haec nititur vitae communione Christi cum fidelibus: in autem Christus e morte redux novam inchoaverit vitam, illa vitae communio nulla esset.

Rom. V. 19: *ὥσπερ γὰρ διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοί, οὕτως καὶ διὰ τῆς ὑπακοῆς τοῦ ἑνὸς δίκαιοι κατασταθήσονται οἱ πολλοί.* In interpretando hoc loco ita versantur nonnulli, ut statuant verba *δίκαιοι κατασταθήσονται* eodem redire ac *δικαιωθήσονται*, illud autem significare *justi efficientur.* Monent praeterea eumdem modum quo ab Adamo ad omnes transierit peccatum, valere etiam de communione

cum Christo: peccatum autem non imputatione sed via naturali propagatum esse, neque igitur τὴν δικαιοσύνην homini tantum per imputationem accidere posse. Jam videamus, quid ex accuratiori loci examine sit statuendum. Paulus vs. 18 affirmat idem obtinuisse in utraque hominum serie (vide § 4). Quemadmodum unius παράπτωμα causa exstitit omnium κατακρίματος, ita unius δικαίωμα omnibus profuit εἰς δικαίωσιν ζωῆς i. e. ad justificationem quae vitam dat.; in vs. 19 hanc sententiam illustrari et veluti probari, ostendit part. γάρ; unde igitur efficitur effatum vs. 19 generalius quam vs. 18 accipiendum esse. Argumentum, quo utitur auctor vs. 19 consistit in observanda vi, quam utriusque capitis, Adami aut Christi, character exercet in utriusque corporis membra, ita ut haec illius referant imaginem; sic Adami παρακοῇ Christi opponitur ὑπακοή. Quid inde factum? Adami posteri, ex uno ejus inobedientiae actu, ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν; Christi sectatores, e perfecta ipsius obedientia, per totam vitam, inprimis in passione et morte Deo praestitâ, δίκαιοι κατασταθήσονται. (Tempore futuro utitur Apost., quia nondum Christi obedientia ad τοὺς πολλοὺς transiit.) Quid autem est καθίστασθαι? — Verti nequit: *facti sunt* sed *positi*, *exhibiti sunt* (1), ita ut semper notio retinenda sit: *in conspectu alicujus.* Tum in promptu est, verbo κατάκριμα respondere ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν et verbo δικαίωσις, δίκαιοι κατασταθήσονται. Hinc igitur apparet, quomodo singula sint

(1) Eadem tuenda vocis significatio 2 *Petr.* I. 8. *Jac.* III. 6. IV. 4.

explicanda: quemadmodum enim ἁμαρτωλοὶ ex conjunctione cum voce κατάκριμα interpretandum est: peccatores constituti sunt ex judicio Dei; ita quoque id quod opponitur, δίκαιοι κατασταθήσονται, de iis dictum censeas, qui in Dei judicio, omni absoluti culpa constituuntur et δίκαιοι *habentur.*

In numerum locorum ad quos ii provocant qui voci δικαιοῦν *justum faciendi* tribuunt notionem, refertur quoque *Rom.* IV. 5. ubi Deus dicitur δικαιοῦν τὸν ἀσεβῆ. Quidni enim, rogant illi, Dei repugnet sanctitati impium justum habere? — At, praeter illa quae supra jam ad hunc illustrandum locum dicta fuerunt, hoc scil. impium h. l. intelligi a Paulo qui fide cum Christo est conjunctus; hîc quoque observandum est, vs. 5 continere effatum generalius, quo utitur Apostolus ad illustrandum modum, quo Abrahamus a Deo justificatus fuit; ita quidem, ut quemadmodum ipse Abrahamus, eodem modo impius ille, de quo sermo est, justificetur. Jam Abrahamo justitia imputata fuit, unde sequitur, idem quoque valere de impio quem Deus justificare dicitur. Quid vero fidei insit, quare, salvâ sententiâ *Prov.* XVII. 5, a Deo in justitiam imputari possit, infra indicabitur.

Denique objicitur locus 1 *Cor.* VI. 11, quo Paulus, memoratis variis flagitiis, quibus antea dediti fuerant Corinthii, pergit: καὶ ταῦτά τινες ἦτε „et haec quidam fuistis, i.e. alii hoc, alii illo contaminati flagitio" ἀλλὰ ἀπελούσασθε, ἀλλὰ ἡγιάσθητε, ἀλλὰ ἐδικαιώθητε ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου Ἰησοῦ καὶ ἐν τῷ πνεύματι τοῦ θεοῦ ἡμῶν. Ex hoc autem justificationis cum lotione et sanctificatione nexu, conjiciunt

nonnulli, forensem, quam dicunt, vocis δικαιοῦν significationem hîc admittendam non esse. Germana autem loci interpretatio haec videtur: sed ipsi vos lavastis (quod intelligatur de lavacro baptismi, symbolo resipiscentiae qua vita in peccatis acta mittitur), et sanctificati estis (in communione cum Christo novo sanctitatis principio imbuti estis, quare et fideles, quamvis nondum revera perfecti, ἅγιοι vocantur), et justificati estis (quippe horum omnium causa a Deo justi habiti). Quodsi autem δικαιοῦν h. l. accipitur sensu, justum *faciendi*, vide quo tandem modo tautologiam ortam ex proximo antecedente ἁγιάζειν evites.

Ex dictis sequitur, frustra e S. S. argumenta quaeri, quibus impugnetur interpretatio a nobis commendata; vix itaque credibile videtur, esse qui hanc rejiciant vocis δικαιοῦν notionem. Fuerunt tamen multi et sunt etiamnunc qui aut justum *faciendi* aut aliam qualemcunque significationem huic obtruserint voci. Singulorum autem ratiocinia atque argumenta, si vel tali nomine insigniri mereantur, hîc pertractare longum foret, et vix requiri ad meam vindicandam sententiam videtur; non enim id egi, ut aedificium, aut systema dogmaticum conderem, sed unice ut sanae hermeneutices praeceptis usus, ex Pauli scriptis ejusdem mentem enuclearem. Sic, ut unum afferatur, silentio praeterire licet sententiam, praeside Clar. VOORSTIO, olim propugnatam (1), vocem δικαιοσύνην interpretantem: „singularem Dei be-

(1) Annot. in loca selecta N. Foederis specimen alterum quod, praeside Joanne van Voors, defendit DID. RIJKE, Lugd. Bat. 1811.

nignitatis demonstrationem." Talia enim, quippe grammatico carentia fundamento, nil quidquam ad meam aut fulciendam aut debilitandam faciunt interpretationem. Praeterea supra jam indicatum est, quare omnes illae repudiandae sint interpretandi rationes, quibus justificatio aut peccatorum remissione, aut adoptione in filios, aut harum utrâque constare affirmetur; ita ut singulos alîus sententiae fautores referre, opus non sit. Potius n hac objectionum recensione, tantum dubia memoranda sunt, quae meae objiciuntur interpretandi rationi. — Rei tamen gravitatis causa verbo dicendum videtur de doctrina ecclesiae Romano-Catholicae. Haec demum stabilita fuit in concilio Tridentino (1). Sess. VI. (13 Jan. 1547) cap. IV dogma hoc modo fuit sancitum: „Justificatio est translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum, Salvatorem nostrum," et c. VII: „justificatio non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum: unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit heres secundum spem vitae aeternae." Ut hujus sententiae nexus cum tota doctrina ecclesiastica rite capiatur, consulendus est ecclesiasticus ejusdem interpres. Lectores vero in omnem BELLARMINI controversiarum labyrinthum introducere, quum vix lu-

(1) Cf. PALLAVICINO, *Gesch. des Trid. Conc.*, übersetzt von T. F. KLITSCHE, Augsb. 1835. III. p. 82.; non tamen unanimem fuisse Patrum de dogmate sententiam vide III. p. 94—104.

beat, neque sit hujus loci, jam sufficiat exponere quasnam docuerit BELLARMINUS esse justificationis causas. Uti omnium rerum sic quoque justificationis quatuor feruntur esse causae: 1. *finalis*, 2. *efficiens* (quadripartita *a.* primaria, *b.* meritoria, *c.* instrumentalis conjuncta, *d.* instrumentalis separata); 3. *materialis* (hominis animus et dispositiones, scil. actus fidei, timor, spes, dilectio, poenitentia, propositum sacramenti percipiendi, propositum novae vitae); 4. *formalis* (*a.* intrinseca, *b.* extrinseca) (1). Quaestiones autem de quibus inprimis lis est inter Protestantes et Catholicos hae sunt: utrum fides naturâ suâ sit dicenda fiducia an assensus (2); tum, utrum fides sola justificet, an accedant alia (3); tum, utrum fides quaeque illâ apprehenditur Christi justitia, sint formalis justificationis causa, an justitia nobis inhaerens (4). In ultima hac pertractanda quaestione dubia movet BELLARMINUS, quibus oppugnetur, Protestantibus recepta, forensis justificationis notio (5). Provocat nimirum ad *Rom.* V. 17—19. III. 24. 25a. 1 *Cor.* VI. 11. *Tit.* III. 4—7, de quibus locis quid sit statuendum, jam dictum supra est. Provocanti BELLARMINO ad usum vocabuli הִצְדִּיק *Jes.* LIII. 11. et *Dan.* XII. 3, assentiendum est, ibi הִצְדִּיק significare *justum facere;* objiciendum vero, sermonis

(1) BELLARMINUS, *Controv.*, T. III. p. 936 sqq.
(2) *Conc. Trident.* de justif. can. XII. BELL. l. l. p. 939 sqq.
(3) *Conc. Trident.* de justif. can. IX. BELL. l. l. p. 970 sqq.
(4) *Conc. Trident.* de justif. can. X et XI. BELL. l. l. p. 1029 sqq.
(5) BELL. l. l. p. 1035 sqq.

Graeci indolem non ex usu vocabulorum Hebraïcorum, sed unice ex ipsa scriptorum Graecorum mente illustrandam esse. Porro afferuntur *Hebr.* XI. *Rom.* VIII. 29. 1 *Cor.* XV. 48. *Rom.* VI. 3 sqq. VIII. 14. 23, quorum singulis probetur haudquaquam justitiam, quippe formalem causam justificationis, homini imputari, sed esse eam realem et homini inhaerentem. His ut obloquar, opus non esse, ex speciminis proposito, sponte sequitur. Dicta sufficiant ad indicandum discrimen Protestantes inter et Catholicos in exponendo dogmate de justificatione.

In patria nostra per hos decem annos, alîus justificationis notionis fautores exstiterunt theologi nonnulli (1). Hi enim viri docti justificationem in eo cerni contendunt, ut Deus homini verae justitiae per Christum auctor fuerit; effecerit adeo per fidem Jesu habendam, ut homo in hanc vitae conditionem et relationem, quae dicitur, cum Deo perveniat, qua Deo acceptus esse possit.

Quare huic vocis δικαιοῦν interpretationi assentiri nequeam, supra in § 4 indicatum est.

Quum autem ab iis meae objicitur interpretandi rationi, inepte sic Deum justificare dici hominem διὰ τῆς πίστεως, respondendum videtur: illud διὰ referendum esse ad conditionem, quae, ut justus a Deo haberi possit homo, a parte hominis adsit, necesse est; πίστις enim, si habe-

(1) Cf. Diarium *Waarheid in Liefde*, 1844. p. 378; 1838. p. 794 not. 11. Quibuscum convenit sententia Viri Doct. A. Rutgers van der Loeff, in *Godsd. Oefeningen*, Edit. 2ae. p. 161—172. et *Bijdragen tot de kennis van onzen Heer en Zaligm. J. Chr.*, p. 98 sq.

tur id in homine, quo per Christum justificationis particeps fit, sequitur, nisi adsit πίστις, neque adesse posse redemptionem a peccato, ipsamque adeo tolli justificationem. Sic πίστις omnino medium dici potest per quod justificatur homo. Neque igitur his etiam dubiis quidquam inest, quapropter meam de justificatione sententiam missam faciam.

Ex dictis sequitur, justificationis in scriptis Paulinis notionem hanc esse: Deum hominem considerare tamquam justum. Qui justificatur, justus esse reputatur a Deo; interna ejus animi conditio ejusmodi est, ut, quippe divinae voluntati consentanea, a Deo approbetur; verbo: δικαιοῦσθαι in scriptis Pauli idem valet atque δίκαιον εἶναι παρὰ τῷ Θεῷ, i. e. ex sententia Dei justum esse.

Hac igitur sententia exposita atque a dubiis vindicata, ulterius progredi licet et primum quidem in justificationis legem inquirendum erit.

CAPUT II.

JUSTIFICATIONIS ACQUIRENDAE LEX.

Haec notio cum tribuenda sit τῷ δικαιοῦσθαι, sponte quaestio oritur, quid sit, quod e Pauli sententia requiratur, ut quis a Deo reputari justus possit. Disquisitioni igitur de notione τῷ δικαιοῦσθαι tribuenda succedat disquisitio de justificationis acquirendae *lege*. In hac autem constituenda lege cum prorsus oppositam sententiam tuiti sint Paulus ejusque adversarii, in argumento hoc explicando ita versabor, ut primum enarrem Judaeorum sententiam, tum autem exponam quomodo haec a Paulo refutetur; inde sponte transitus fieri ad exponendam ipsius Pauli doctrinam poterit, quibus tandem accedet doctrinae de justitia ex fide vindicatio, qualem ipse in epistolis exhibuit auctor.

§ 1.

Sententia Judaeorum.

Uti jam vidimus, notio τῆς δικαιοσύνης debetur Judaeorum cogitandi rationi; hi enim δικαιοσύνην summum habebant omnis perfectionis, omniumque virtutum quibus homo Deo placeat, prouti hoc sponte sequitur ex Veteris Foederis oeconomia. Ubi ex legis principiis conjunguntur Deus et homo, vinculum, quod inter utramque partium intercedit, idem est atque illud quod exstat inter duos homines qui foedus ineunt, ita ut ab utraque parte debita sint solvenda atque promissa praestanda. Deus legem dedit populo Israëlitico eamque sancivit cum poenas minando, tum praemia promittendo. Formula, qua mutua illa relatio exprimi solet, haec est: „Qui haec facit, ipse in illis vivet". *Lev.* XVIII. 5. et „exsecratus sit, quicunque non maneat in omnibus quae lege praescribuntur" *Deut.* XXVII. 26. cf. quoque *Deut.* XXVIII. Sequitur hinc, ut qui Dei mandatis obsequium praestat, jure is bona promissa nanciscatur; contra vero, ut qui, vel semel, legem transgreditur, ex judicio divino poenam solvat. Sic in lege exstitit legalis, quae dicitur, relatio Deum inter et hominem, qua omnis virtus continetur externâ officiorum observantiâ. Justitia autem, quam sibi hoc modo homo comparat, vocatur vel δικαιοσύνη ἐξ ἔργων sive ἐξ ἔργων νόμου, (*Rom.* III. 20. 28. IV. 2. IX. 11. 32. XI. 6. *Gal.* II. 16. III. 2. 5. 10

Eph. II. 9); quia ex legis operibus rite peractis oritur; vel ἴδια δικαιοσύνη (*Rom.* X. 3) sive ἐμὴ δικαιοσύνη (*Phil.* III. 9) quia ipsius hominis nititur merito. Virtus igitur hominis sub lege cernitur in eo, quod omni studio vires intendat, ut officiis ex lege praescriptis fungatur, sic vero justum coram Deo se praestet. Ipse Paulus antequam justitiam ex fide cognitam habebat, ardenti animo justus fieri ex lege studuit, uti ipse tradit, *Phil.* III. 4 sq. *Gal.* I. 13. 14. cf. *Act.* XXII. 3 sq. Jam vero neminem hac viâ a Deo justum haberi posse, dein ex Pauli mente probandum erit. Hîc primum observare liceat, quantopere illa ἴδια δικαιοσύνη distet a vera religione, quae intimâ cordis puritate, pioque cernitur animo. Praeterea ipsa lex apud Judaeos duplicis vitii causa exstitit, quod in Pauli aequalibus inprimis verae religionis amori obstitit, superbiae scilicet et hypocriseos. Gloriabantur enim Judaei de privilegiis sibi prae gentilibus concessis, magnoque ferebantur fastu cum propter circumcisionem, Abrahami posteris tamquam pignus gratiae divinae datam, tum propter legem, divinae voluntatis documentum, ipsis creditam, immemores eorum, quae Paulus iis objecit: οὐχ οἱ ἀκροαταὶ νόμου δίκαιοι παρὰ τῷ θεῷ, ἀλλ' οἱ ποιηταὶ νόμου δικαιωθήσονται (*Rom.* II. 13.). Σπέρμα 'Αβραάμ ἐσμεν et Μωυσῆς δέδωκεν ἡμῖν τὸν νόμον, ita ratiocinabantur, simul autem legis praeceptorum obliviscebantur. Nec minus vulgaris iis fuit hypocrisis: studebant enim, inprimis Pharisaei, ut ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων justitiae speciem induerent; in plateis adeo et foro bonis eminebant operibus, dum interim domi nullis non

vitiis dediti erant. Descripsit ejusmodi hominem Jesus in parabola de Pharisaeo et portitore, suo utrisque modo, in templo preces fundentibus *Luc.* XVIII. 9—14, uti universe illius aetatis hominum indoles optimè cognoscitur e modo quo Jesus et Apostoli illorum se opposuerunt vitiis. Conf. inter alia *Matth.* V. 20. VI. 1. 5. *Marc.* VII. 1—13. *Joh.* VIII. 31 sq. *Gal.* IV. 10. *Rom.* II. 1. sq. Sic verae δικαιοσύνῃ, inanis sub lege eaque imperfecta et externa officiorum observantia substitui coeperat, remota illa a verâ religione, quae unice Deo placet atque justitiae instar verae a Deo considerari potest.

§ 2.

Judaeorum sententia a Paulo refutata.

Ex quo tempore Paulus didicerat, ἅτινα ἦν κέρδη, ταῦτα ἡγεῖσθαι διὰ τὸν Χριστὸν ζημίαν, strenuus exstitit adversarius aequalium commenti de justitia ex legum operibus comparanda. Nunc ex intimo pectore professus est: ὅτι οὐ δικαιοῦται ἄνθρωπος ἐξ ἔργων νόμου, et ὅτι ἐν νόμῳ οὐδεὶς δικαιοῦται παρὰ τῷ Θεῷ et ὅσοι ἐξ ἔργων νόμου εἰσίν, ὑπὸ κατάραν εἰσίν. *Gal.* III. 10. 11. 21. II. 16. *Act.* XIII. 39. *Rom.* III. 20. 21. 28 alibi. Antequam vero inquiramus, quibusnam argumentis haec nitatur sententia, videndum est qualem notionem Paulus tribuat τῷ νόμῳ. Nulla in Pauli scriptis habentur vestigia discriminis, quod dein fieri jusserunt theologi inter legem moralem atque legem ceremoniarum. Paulo ὁ νόμος est totus

praeceptorum divinornm complexus, qualis habetur in libris Mosi auctori tributis, s. revelatio voluntatis divinae per Mosem facta; interdum quoque latiore ambitu valet de tota Veteris Foederis oeconomia, quatenus saluti in Christo opponitur. Ne vero quae docet Apostolus de justitia frustra extra Christum quaesita, tantum spectare viderentur populum Israëliticum, addit Apostolus, gentiles, quos vocat *ἀνόμους*, haud secus ac Judaeos (*τοὺς ὑπὸ νόμον*) iniquitatis ipsorum causâ Dei obnoxios esse irae. Ad hoc probandum ostendit, gentilibus quoque, per conscientiae decreta, legem divinam cognitam fuisse, ipsisque igitur vivendi normam moralem affuisse, quae, etiamsi legis positivae formâ careret, legis tamen locum occupare censenda esset. Scilicet gentiles habuerunt *τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων ἢ καὶ ἀπολογουμένων*, *Rom.* II. 15. *Τὸ ἔργον τοῦ νόμου* est id, quod fieri jubet lex, ita ut, quoad materiam s. substantiam lex illa naturalis conveniat cum lege Mosaïcâ, diversâ tamen formâ: ad quam accedit conscientia, quae testatur de singulis hominum actionibus, utrum sint probandae an damnandae; simul vero ex judicio, quod de se invicem ferunt gentiles, apparet, illos non latuisse quid legi divinae esset congruum, quid illi repugnaret. Convenit autem haec gentilium lex, quatenus homini vivendi normam externâ legislatorum s. consuetudinis auctoritate scribit, cum lege scripta Mosis in eo, quod utraque vitae norma est dicenda, cui, quippe naturae sensibilis re-

pugnanti desideriis, non nisi invitus obtemperat homo. Hinc igitur constat, notione νόμου apud Paulum indicari qualemcunque normam, objective homini oblatam, tamquam γράμμα, oppositam τῷ ἐκ καρδίας, externâque auctoritate sancitam, minisque et praemiis promissis hominem regentem (1).

Paulus in refutanda Judaeorum sententia ita versatur, ut primum doceat, neminem unquam legem implevisse, dein ostendat legem a nemine impleri potuisse, inde vero efficiat, ope legis neminem justum esse nec esse posse coram Deo; primum argumentum est historicum, alterum psychologicum. Singula jam perscrutemur.

1. Nemo Dei legem implevit. In his exponendis versatur Apostolus sect. *Rom.* I. 18. — III. 20. Gentiles enim Dei potentiae atque majestatis patefactionem in rerum universitate ipsis oblatam, neglexerunt, ita ut creaturam prae creatore colerent, quo factum ut in nulla non vitia inciderent. Ab altera parte Judaei lege et circumcisione gloriantes, eo ipso quod summum legis beneficium a Deo iis fuit creditum, legis oblivione et contemptu, majoris etiam criminandi culpae erant. Jam vita promissa erat ποιηταῖς τοῦ νόμου, *Rom.* II. 13. X. 5. *Gal.* III. 12. *Lev.* XVIII. 5; illos vero qui legi non obtemperant manebat condemnatio atque exsecratio, *Gal.* III. 10. *Deut.* XXVII. 26. Nemo autem legem im-

(1) Aliquando etiam mitiori sensu νόμος dicitur norma, s. regula qualiscunque. Sic νόμος πίστεως, *Rom.* III. 27. νόμος τοῦ νοὸς, *Rom.* VII. 23. νόμος τοῦ πνεύματος, *Rom.* VIII. 2. νόμος τῆς ἐλευθερίας *Jac.* II. 12.

pleverat, neque Judaeus, *Rom.* II. 21 sq. III. 9 sq. neque gentilis, *Rom.* I. 29 sq. II. 14. 15; hinc nemo justus haberi coram Deo poterat, *Rom.* III. 10 sq. 23, omnesque condemnationi divinae erant obnoxii, *Rom.* III. 19: quapropter lex vocatur *διακονία τῆς κατακρίσεως*, 2 *Cor.* III. 9.

2. His etiamsi probetur, hactenus neminem sub lege a Deo justum esse habitum, nondum tamen effici posset justificationem sub lege exstare non posse. Haec igitur deinceps Apostolo probanda erant.

Ex lege nullus justificari potest. Si quaeritur: quam ob causam? causa esse potest in ipsa lege, quod scilicet imperfecta, homini auctor perfectionis esse nequeat. Hoc negat Paulus, contra affirmat: *ὁ νόμος πνευματικὸς* et *ἅγιος καὶ ἡ ἐντολὴ ἁγία καὶ δικαία καὶ ἀγαθὴ*, *Rom.* VII. 12. 14. Modo igitur ipse homo *πνευματικὸς* sit, nil quidquam impedit, quominus sanctam illam legem impleat atque sic justificetur. Atqui *ἀσθενεῖ ὁ νόμος διὰ τῆς σαρκὸς*, *Rom.* VIII. 3. Homo enim non totus est *πνευματικὸς*, sed etiam est *σαρκικός*: *σὰρξ* autem est principium *τῆς ἁμαρτίας*: quatenus homo *σὰρξ* est, resistit legi divinae. Jam ubi homini *σαρκικῷ* imponitur *νόμος πνευματικὸς*, non potest non oriri pugna, nam *σὰρξ* non nisi invita cogi potest ad legis obsequium; ita ex pugna legem inter hominisque naturam vitiosam, oriuntur peccata. Haec a Paulo exponuntur *Rom.* VIII. 5—8.: *οἱ κατὰ σάρκα ὄντες τὰ τῆς σαρκὸς φρονοῦσιν· τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς θεόν· τῷ γὰρ νόμῳ τοῦ θεοῦ οὐχ ὑποτάσσεται· οὐδὲ γὰρ δύναται·* et *Rom.* VII. 23., ubi dicitur *νόμος ἐν τοῖς μέλεσιν*, i. e. carnis cupido, repugnare meliori

conscientiae legi sive τῷ ἔσω ἀνθρώπῳ. Ex hac autem pugna oriuntur *τὰ ἔργα τῆς σαρκὸς*, quae enumerat Paulus *Gal.* V. 19 sq.; quibus efficitur, ut *οἱ ἐν σαρκὶ ὄντες θεῷ ἀρέσαι οὐ δυνῶνται*. Ita exstare justificatio homini carnis dominio subdito atque sub lege viventi nequit. Non tamen ex Pauli sententia homo totus est *σαρκικὸς* et praeter *τὰ ἔργα τῆς σαρκὸς* exstant *ἔργα τοῦ νόμου*. Homini enim inest natura divina, peccato quidem contaminata, non vero prorsus exstincta: haec cernitur in τῷ νοΐ, qui etiam dicitur ὁ ἔσω ἄνθρωπος, *Rom.* VII. 22. 23. Νοῦς scilicet revera *συνήδεται τῷ νόμῳ τοῦ θεοῦ*, sed tantum potest *velle* meliora: et si vel aliquando νοῦς victoriam agere possit in pugna cum peccato, non tamen peccati principium in homine superare valet; quare neque ὁ νοῦς in homine nondum christiano efficere potest, ut homo justificetur coram Deo.

Non tamen acquiescit Paulus in exponenda illa hominis vitiositate, quae impedit, quominus adsit justitia ex lege. Hactenus tantum dictum fuit de hominis natura *σαρκικῇ* quae justificationi obstat; nunc vero praeterea sententia illa: *οὐ δικαιοῦται ἄνθρωπος ἐξ ἔργων νόμου* probatur ex ipsa legis indole ejusque ratione ad peccatum. Illa autem legis natura tribus describitur effatis.

a. Χωρὶς *νόμου ἁμαρτία νεκρά*, *Rom.* VII. 8. Quamdiu homo nondum cognitam habet legem, ita ut nondum rite distinguat inter id, quod faciendum et quod fugiendum sit, revera quidem jam adest prava cupido, sed haec veluti dormitat. Adest *ἁμαρτία*, non vero *παράβασις*, nam *οὗ οὐκ ἔστιν νόμος, οὐδὲ παράβασις*, *Rom.*

IV. 15. Atqui haec ἁμαρτία homini non imputatur, ἁμαρτία οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου, *Rom.* V. 13. — Homo qui sic vivit χωρὶς νόμου aequiparandus est puero, qui, etsi mala committat, non tamen mali conscientiâ agitur, in quo igitur ἁμαρτία νεκρὰ dici potest.

b. Διὰ νόμου ἐπίγνωσις ἁμαρτίας, Rom. III. 20. Quamprimum vero homini lex tamquam vitae norma proponitur, non potest non pugna interna oriri inter conscientiam quae jubet legi satisfacere et carnem quae huic legi adversatur. Quemadmodum χωρὶς νόμου, ἁμαρτία dicenda νεκρὰ est, ita ἐλθούσης τῆς ἐντολῆς ἡ ἁμαρτία ἀνέζησεν, *Rom.* VII. 9. — Antequam data fuerat lex, ἁμαρτία quidem aderat, sed non prodiit foras ipsius natura legi divinae opposita. Jubente vero lege: „ne pecca!" omne peccatum agnoscitur tamquam ἔχθρα εἰς θεόν. Sic pugna illa oritur interna, quam, ex superioris forsan temporis experientia, depinxit Apostolus *Rom.* VII. 14 sq. Homini proponitur lex quae minando et pollicendo postulat, ut suis effatis morem gerat; homo, suis ipse nitens viribus, in carnis esse dominio pergit, quo rapitur ad malum: adest quidem ὁ νοῦς, sive ὁ ἔσω ἄνθρωπος, qui cupit Deo placere, sed deest vis moralis in carnem dominandi. Hinc fit ut increscente in dies peccatorum numero, augeatur mali conscientia, utque poenarum divinarum metu pellantur animi quies et pax interna. In hac conditione δικαίωσις locum habere nequit. Adest quidem πνεῦμα, quo vis peccati frangi possit, sed homo, suis ipse viribus, efficere

non valet, ut ὁ νοῦς et τὸ πνεῦμα ita corroborentur ut principatum in homine obtineant.

c. Non tantum vero lex judicis agit partes, sed unum dicere Paulo superest, quo argumentationi suae culmen addat, sub lege neminem justum esse coram Deo. Scilicet ὁ νόμος ἡ δύναμις ἐστὶν τῆς ἁμαρτίας, 1 *Cor.* XV. 56. Effatum hocce paradoxon videri potest, uti et tritum illud, quocum convenit „ *nitimur in vetitum*", attamen veritati prorsus est consentaneum. Quum enim homini σαρκικῷ proponitur lex, sponte legis effato „ *ne fureris*" excitatur carnis cupido et fere ad furtum rapitur. Legis nimirum interdicto excitatur carnis cupido, atque sic urgente tentatione, τῆς σαρκὸς ἐπιθυμία in ipsam peccandi actionem transit. Paulus haec docuit *Rom.* VII. 7—11: ἡ ἁμαρτία ἀφορμὴν λαβοῦσα διὰ τῆς ἐντολῆς ἐξηπάτησέν με καὶ δι' αὐτῆς ἀπέκτεινεν, uti et ipse fatetur, legem datam esse ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα, *Rom.* V. 20.

Hinc igitur perspicuum est, quibus nitatur argumentis illud ἀδύνατον τοῦ νόμου, ἐν ᾧ ἀσθενεῖ διὰ τῆς σαρκὸς, *Rom.* VIII. 3. Scilicet lex tantum peccati atque culpae conscientiam provocat, tum vero ipsum peccatum excitat, non vero homini πνεῦμα communicat, quo peccatum superare valeat. Legis autem effectus est θάνατος, uti fatetur Paulus: εὑρέθη μοι ἡ ἐντολὴ ἡ εἰς ζωὴν, αὕτη εἰς θάνατον, *Rom.* VII. 10. Lex enim praeceptis divinis obsequenti vitam promittit; illi autem, qui Dei resistit voluntati affert mortem, quam minatur cuivis peccanti Deus. Mors illa, utrum ex mente Pauli sit habenda physica an moralis, vix statuere liceat; neque hoc discrimen tanti

habitum fuisse illis temporibus, quanti nunc, verosimile est: quapropter statuendum videtur, morte indicari complexum omnium malorum, s. peccati sequelarum, quibus continetur hominis ταλαιπωρία, *Rom.* VII. 24.

§ 3.

Sententia Pauli.

Eorum quae dicta sunt summa huc redit. Nemo justus est coram Deo. Gentes ne cognitionem quidem veri Dei servarunt. Judaei legem nihili habentes, culpam peccati contraxerunt nullo remedio delendam. Sub lege igitur nemo quisquam justificari potuit, nam lex non nisi mortem parit. Omnes igitur obnoxii irae divinae sunt omnesque manent flagitiorum poenae. Omnis igitur illa δικαιοσύνη ἐξ ἔργων, quam jactarunt Judaei, commenticia erat, nulla cum habeat homo merita, quibus a Deo justus habeatur. Aut igitur justificari homo nequit, aut statuendum, illam, quam meritis ipse sibi comparare nequit homo δικαιοσύνην, ipsi contingere divinae gratiae dono. Hoc donum ipsi contingit in salute per Christum parta et loco ἰδίας δικαιοσύνης offertur δωρεὰ τῆς δικαιοσύνης, *Rom.* V. 17. Postquam igitur Paulus in exordio epistolae ad Rom. totius generis humani exposuerat culpam, atque inanem esse ostenderat Judaeorum de justitia ex lege comparanda fastum, hoc pergit modo, III. 21 sq.: νυνὶ δὲ χωρὶς νόμου δικαιοσύνη θεοῦ

πεφανέρωται, μαρτυρουμένη ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν, δικαιοσύνη δὲ Θεοῦ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, εἰς πάντας καὶ ἐπὶ πάντας τοὺς πιστεύοντας, οὐ γάρ ἐστιν διαστολή· πάντες γὰρ ἥμαρτον καὶ ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Haec igitur justitia vocatur δικαιοσύνη Θεοῦ. In formula illa explicanda dissentiunt viri docti, utrum indicet justitiam *quae valet coram Deo* s. quam *Deus postulat.* cf. *Matth.* VI. 33. (genit. qualitatis), an illam *quae a Deo datur* ita ut genitivus Θεοῦ sit genitivus causae efficientis. Qui priorem tuentur sententiam provocant ad formulas: ἐνώπιον Θεοῦ. *Rom.* III. 20 et παρὰ τῷ Θεῷ, *Rom.* II. 13. *Gal.* III. 11. His vero obstare videtur, δικαιοσύνην Θεοῦ alibi audire δικαιοσύνην ἐκ Θεοῦ, quae *Phil.* III. 9 opponitur ἰδίᾳ δικαιοσύνῃ, i. e. justitiae, quam sibi ipse comparat homo; hanc vero melius opponi dixerim justitiae dono divino acceptae, quam illi quae valet coram Deo; nisi quis malit ἰδίαν δικαιοσύνην interpretari *justitiam homini privam* hactenus, quatenus ab hominibus excogitatur, ut sit virtus commenticia, verae virtuti quae Deo placet, opposita. Idem exprimere voluisse Paulus existimari possit *Phil.* III. 9 formulâ δικ. ἐκ Θεοῦ, quod vertere usus loquendi sinit: *justitiam quam Deus approbat.* cf. *Rom.* II. 29. Praestare tamen mihi videtur interpretatio, qua in formula δικ. Θεοῦ genitivus habetur genitivus causae efficientis, quamvis et altera interpretatio Pauli menti non repugnet, neque impediat, quominus illa δικαιοσύνη accepta referatur

gratiae divinae (1). Δικαιοσύνη Θεοῦ igitur est conditio hominis qui non ex opinione hominum, sed ex judicio ipsius Dei vere justus est; conditio quae unice debetur gratiae divinae, qua communionis cum Christo particeps factus, tamquam justus consideratur a Deo, idque, ut supra vidimus, ita ut fides loco verae justitiae habeatur (2). Haec δικαιοσύνη dicitur διὰ πίστεως, *Rom.* III. 22; ἐκ πίστεως, IX. 30. X. 6; τῆς πίστεως, IV. 11; πίστεως, IV. 13; tum δικ. ἐπὶ τῇ πίστει, *Phil.* III. 9 et δικ. κατὰ πίστιν, *Hebr.* XI. 7. Justitia scil. dici potest homini contingere διὰ πίστεως, quia acquiritur in Christi communione, fide reposita in Deum. Eodem fere modo explicanda est praep. ἐκ, qua vulgo indicari solet id, unde aliquid procedit, s. causa proxima. Jam vero justitiae causa quidem est in Deo, sed, quatenus homo per fidem in illa versatur conditione, qua justus habetur, eatenus dici potest justitia procedere ex fide. Dicitur porro illa justitia, δικαιοσύνη τῆς πίστεως, s. πίστεως, i. e. vel justitia quae oritur ex fide (gen. causae), vel illa, quae fidei characterem fert, opposita δικαιοσύνῃ ἐξ ἔργων νόμου (gen. qualitatis), vel denique justitia, quae fide continetur (gen. appos.); δικαιοσύνη porro ἐπὶ τῇ πίστει est justitia

(1) Sententiae doct. USTERI, l. l. p. 87 sq. formulâ δικ. Θεοῦ interdum et nostro quoque loco indicari Dei justitiam in vindicandis promissis conspicuam, vestigia frustra quaeruntur. Paulus hanc Dei virtutem designat voce πίστις. Cf. Rom. III. 3.

(2) Non assentiendum videtur Clar. BAUR, l. l. pag. 525. statuenti δικαιοσύνην Θεοῦ, esse notionem generaliorem qua includuntur et justitia ex operibus et justitia ex fide. Paulus formulam illam non adhibet nisi de justitia διὰ s. ἐκ πίστεως.

quae, fidei lege comparatur; dum formulâ κατὰ πιστιν *Hebr.* XI. 7 indicari videtur fidem esse fundamentum, sive causam justificationis subjectivam, qua Deus hominem justificet. Cf. *Matth.* XIX. 3. *Act.* III. 17 (1). Ex his omnibus autem apparet, absente fide justitiam adesse nullo modo posse; ni adsit fides, homo justificari nequit. Sponte ita oritur quaestio, quid sit fides, de qua in cap. III. agam. Observare superest, vocem δικαιοῦσθαι, additis verbis ἐκ πίστεως, occurrere, et tempore praeterito *Rom.* V. 1. 9. 1 *Cor.* VI. 11, et praesenti *Gal.* II. 16. III. 11, et futuro *Rom.* III. 30. Primum indicat justitiam per fidem acquisitam; secundum et tertium (fut. relativum) indicant normam aut legem secundum quam justificatio in N. F. locum habeat. Aliquando etiam justitia tamquam bonum futurum hactenus describitur, quatenus ejus initia in hac vita adsunt et ad consummatam justitiam ductura in vita meliore sunt. Cf. *Gal.* V. 5: ἡμεῖς πνεύματι ἐκ πίστεως ἐλπίδα δικαιοσύνης ἀπεκδεχόμεθα.

§ 4.

Sententiae Paulinae vindicatio.

Uti tota Pauli doctrina de justificatione, ita ipsa quoque ipsius vindicatio, duabus constat partibus, alterâ polemicâ, theticâ alterâ. Prima respondet thesi: ἐν νόμῳ οὐδεὶς δικαιοῦται, altera huic: δικαιοῦται ἄνθρωπος

(1) Cf. Wineri, *Gramm.* p. 478.

ἐκ πίστεως. Nimirum ita versatur Apostolus in sua vindicanda doctrina, ut primum indicet, legem non eo consilio datam olim fuisse, ut ex illa justificetur homo, deinde ostendat, illud ipsum, quod desideratur in lege, adesse in fide per quam justificatur homo. Prior hujus vindicationis pars etiamsi referri possit ad argumenta quibus utitur Paulus ad refutandum Judaeorum errorem de justitia ex lege comparanda, potius hîc tractanda videtur, quippe vindicationem continens Apostoli doctrinae, ipsius oeconomiae veteris auctoritate superstructam. Prior vindicationis pars sic se habet: ipsum institutum Mosaïcum, ipsaque adeo lex, hominem ex operibus justificare nequaquam prae se fert, quum et in V. F. fides summum proponatur vitae principium et benedictionis divinae acquirendae via. Ipsa autem lex potius ad augendum peccatum, quam ad tollendum valet, ejusque character praecipuus in eo cernitur, ut hominum generi sit παιδαγωγὸς εἰς Χριστὸν, atque futurae salutis adumbratio. Horum nunc singula ex Pauli scriptis describenda sunt.

1. In ipsa Veteris Foederis oeconomia obsequium legi praestandum non summum habetur in homine, neque igitur propterea gratiae divinae particeps fieri homo potest. Quod summum in homine habendum in Veteri etiam Foederi, πίστις est s. fiducia, qua omnem in solum Deum spem collocat homo. Hujus fidei testis primarius est Abrahamus. Judaei gloriabantur de privilegiis Abrahamo concessis, seque ipsos habebant horum bonorum haeredes; Paulus autem, duce historia, probat, unicam

causam, cur Deo placuerit Abrahamus, in eo conspicuam fuisse, ὅτι ἐπίστευσεν τῷ Θεῷ, *Rom.* IV. 1 sq. Sumitur, Abrahamum δικαιωθῆναι, quaestio tantum est, quomodo? Respondet Scriptura (*Gen.* XV. 6): „ quia Deo credidit." Argute haec quoque probantur a Paulo ex circumcisionis instituto; hanc enim acceperat demum Abrahamus postquam ἐδικαιώθη, et tamquam σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ; quapropter qui, Abrahami instar, a Deo justificantur, ex ipsius Veteris Testamenti doctrina dicuntur στοιχοῦντες τοῖς ἴχνεσιν τῆς ἐν ἀκροβυστίᾳ πίστεως Ἀβραάμ, sive, uti docet Paulus *Gal.* III. 9: οἱ ἐκ πίστεως εὐλογοῦνται σὺν τῷ πιστῷ Ἀβραάμ. Quae cum ita sint, perspicuum est, legem ad Dei promissa evertenda, neutiquam valere. Quemadmodum enim foedus s. testamentum hominis rite sancitum violari nequit, ita quoque διαθήκην προκεκυρωμένην ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ὁ νόμος οὐκ ἀκυροῖ, εἰς τὸ καταργῆσαι τὴν ἐπαγγελίαν, *Gal.* III. 15 sq.

2. Atqui sic quaeri possit: τί οὖν ὁ νόμος (*Gal.* III. 19); atque suspicio oriri, illam esse κατὰ τῶν ἐπαγγελιῶν τοῦ Θεοῦ (vs. 21). Respondet Paulus: μὴ γένοιτο, εἰ γὰρ ἐδόθη νόμος ὁ δυνάμενος ζωοποιῆσαι, ὄντως ἐκ νόμου ἂν ἦν ἡ δικαιοσύνη. Lex autem non tantum vitam spiritualem dare, adeoque justificationis causa esse nequit, verum quoque longe alio instituta fuit consilio. Quemadmodum enim supra vidimus, legis fuisse effectum, ut auctis peccatis, peccati conscientia augeretur, ita hoc ipso ejus cerni propositum affirmare haud dubitat Apostolus. Lex data non solum est, ἵνα ἁμαρτία φανῇ, *Rom.*

VII. 13, i. e. ut peccatum vero quo est charactere foras prodiret, sed etiam *ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα*, *Rom.* V. 20. Sic *τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη ὁ νόμος*, *Gal.* III. 19. i. e. ut orirentur *παραβάσεις*, nam nisi *ἁμαρτία* in legis positivae transgressione sese tamquam *παράπτωμα* manifestaret, culpae conscientia existere non poterat. Conditio autem sub lege describitur a Paulo, ubi dicit *Gal.* III. 23: *πρὸ τοῦ ἐλθεῖν τὴν πίστιν ὑπὸ νόμον ἐφρουρούμεθα συγκεκλεισμένοι εἰς τὴν μέλλουσαν πίστιν ἀποκαλυφθῆναι*; uti et *Rom.* XI. 32: *συνέκλεισεν γὰρ ὁ θεὸς τοὺς πάντας εἰς ἀπείθειαν ἵνα τοὺς πάντας ἐλεήσῃ*. Huc spectant etiam vocabula, quibus utitur Paulus ubi agit de partibus quas egit lex in salutis oeconomia, scil.: *ὁ νόμος παρεισῆλθεν* *Rom.* V. 20 et *ὁ νόμος προσετέθη* *Gal.* V. 19. Lex enim exstitit tempore intermedio inter Dei promissa Abrahami posteris data atque salutem in Christo exhibitam. Quamdiu illa benedictio, cujus Abrahamo spem fecerat Deus, nondum in lucem prodierat, tamdiu homines sub lege, veluti in carcere, custodiebantur, ut, vinculo legis imposito, incresceret vis peccati, idque sub forma transgressionis voluntatis divinae; sic vero in homine excitaretur culpae conscientia et justificationis coram Deo desiderium. Ita *ὁ νόμος παιδαγωγὸς γέγονεν εἰς Χριστὸν*, *Gal.* III. 24. i. e. praeceptoris puerorum nondum adultorum egit partes; nam ut magister pueris mandata proponit, minisque et promissis apud eos excitat boni malique conscientiam, ita lex genti Israëliticae *παιδαγωγὸς* exstitit *εἰς Χριστὸν* h. e. ad tempus usque, quo salutis in Christo participes

fieri possent. Legis igitur munus non erat perenne, ἐλθούσης τῆς πίστεως οὐκέτι ὑπὸ παιδαγωγόν ἐσμεν, *Gal.* III. 25 cf. II. 19. Lex tantum ad Christum ducere debebat, τέλος γὰρ νόμου Χριστὸς, *Rom.* X. 4; quocirca absurdum foret statuere, legem a Deo datam esse, ut ex ipsa justificaretur homo.

3. Legis propositum non hoc esse ut in perpetuum homini imposita maneret, atque ita perenne foret vinculum quo homines cum Deo conjungerentur, inde quoque apparet, quod lex non erat nisi salutis futurae adumbratio (σκιὰ τῶν μελλόντων, *Coloss.* II. 17. cf. *Hebr.* X. 1). Bona igitur serius demum acquirenda sub involucris conspicienda praebet, ut pateat, suas eam partes explevisse, quamprimum salus in Legis ceremoniis adumbrata, reapse exstitit in Christo, ὃς ἐγενήθη δικαιοσύνη ἡμῖν ἀπὸ θεοῦ, 1 *Cor.* I. 30. Inprimis auctor epistolae ad Hebr. multus est in contemplando nexu inter veterem oeconomiam et novam, cf. *Hebr.* IX. 14. X. 4—10. In umbris hisce principe loco recensentur sacrificia sub Lege, sacrificii verae obedientiae, per Christum Deo oblati, adumbratio. Nam ut sacrificiorum, inprimis sacrificii piacularis, institutum symbola tantum exhibuit vitae integritatis Deo offerendae ab homine, justificari atque cum Deo in gratiam redire cupiente, Christus non tantum symbolum vitae integrae, sed re ipsa vitam omni peccato expertem, perfectam adeo obedientiam Deo obtulit; ut qui ipsius sacrificii particeps per fidem et conjunctionem cum ipso factus fuerit, cum Deo in gratiam redeat et justus ab illo habeatur. Sed

plura quominus h. l. de sacrificiorum indole disputemus instituti praesentis vetat ratio. Dicta sufficiant, ut pateat ex charactere etiam legis symbolico in Pauli doctrina repeti argumentum, quo probet, frustra facere eos, qui legem justificationis fontem et fundamentum esse doceant.

Sed alia praeterea erant, a quibus Apostoli doctrina de justificatione, vindicanda erat. Sublatâ enim justificatione per legem acquirendâ et fide propositâ salutis lege cuivis homini, tam Ethnico quam Judaeo, ipsum promissum Abrahamo, ejusque posteris a Deo factum vi sua orbari videri posset, Deique adeo veracitati doctrina Pauli repugnare. Huic dubitationi occurrit Apostolus in Epist. ad Rom. IX. 6. Οὐχ οἷον δὲ, inquit, ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ. Non enim promissionem Dei Abrahamo factam pendere a sanguinis affinitate qua quis cum Abrahamo junctus esset, ipsa patriarcharum docuit historia. Scilicet, hac teste, uni Isaäco, non vero Ismaëli data fuit promissio, quamvis uterque Abrahami esset filius. Imo vero ante nativitatem geminorum Rebeccae, antequam boni aut mali quid commiserant, adeoque nullâ legis observantiae habitâ ratione, Deus decreverat majora favoris documenta conferre in Jacobum quam in Esavum. Ex quibus igitur efficitur, divinam ἐκλογὴν esse liberam, neque a generis origine pendere.

Idem valet adversus Judaeos, qui, quamquam Jesum Messiam rejicerent, vel sic ex origine Abrahamitica jus repeterent, quo a Deo justificarentur. Justifica-

tionis beneficium nil quidquam commune habere cum generis origine, ex Mosis exemplo patet, qui, quidquid erat, Dei misericordiae ejusque gratuito favori non suis ipse meritis, aut generis nobilitati debuit. Rejici autem a Deo Judaeos Christo inimicos et prohiberi a beneficiorum Abrahamo promissorum usu, quamquam ipsorum culpae tribuendum, vel sic divinâ moderante providentiâ, haud secus atque olim Pharaonis obduratio, eo tetendit, ut Dei consilia de genere humano rata fierent; *οὐκ ἔπταισαν ἵνα πέσωσιν*, *Rom.* XI. 11. Judaeorum *παράπτωμα* et *ἥττημα* eo valuerunt, ut gentibus *ἡ σωτηρία* contingeret, ut olim et ipsi Judaei refragantes in Christi corpus veluti rami in arborem, [illegible]e abscissi fuerant, denuo insererentur, atque sic tota [illegible] gens Israëlitarum omnesque Abrahami posteri salutis per Christum partae fierent participes: *συνέκλεισεν γὰρ ὁ θεὸς τοὺς πάντας εἰς ἀπείθειαν ἵνα τοὺς πάντας ἐλεήσῃ*, *Rom.* XI. 32. cf. 1 *Tim.* II. 4. IV. 10. *Rom.* XI. 25—27, 30—32. V. 18. 1 *Cor.* XV. 22—28. *Col.* I. 19. 20. *Phil.* II. 10. coll. 2 *Petr.* III. 9.

CAPUT III.

DE NEXU QUO JUSTIFICATIONIS BENEFICIUM COHAERET CUM FIDE.

Ex dictis patuit, nullam cogitari posse, ex mente Pauli, justificationem, praeter illam, quae *fide* acquiratur. Summi idcirco in nostra disquisitione momenti quaestio habenda est, qualis sit fides, ut quo modo, ex mente Pauli, cohaereat cum justificationis beneficio in oculos incurrat. In hac vero solvenda quaestione, mirum, quot omni tempore a theologis commissi fuerint errores, quin fere affirmare liceat, ex male intellecta fidei notione, pleraque vitia orta fuisse in interpretatione doctrinae de justificatione. Sic, ut hoc unum afferam, mirum esse nequit ecclesiam

Romano-Catholicam in interpretatione vocis δικαιοῦν justum *faciendi* significationem tuitam esse, quum fides illi nihil sit aliud, nisi assensus, quem quis praebeat omnibus quae Deus revelavit (1). In istiusmodi autem fide causam esse non posse, cur Deus hominem justum *habeat*, sponte intelligitur. Hinc igitur patet, non acquiescendum esse in vindicata germana vocis δικαιοῦν interpretatione, sed, ut doctrina de justificatione per fidem acquirendâ recte intelligatur, accuratâ opus esse disquisitione de ipsius fidei notione atque indole in systemate Paulino.

Nullibi in epistolis Paulus de industria fidei descripsit naturam, imo vix ex singulis locis in quibus, vocabulis huc pertinentibus usus, de hoc argumento loquitur, certam definitamque notionem elicere nobis licet. Negari enim nequit, vocabula πιστεύειν, πίστις, alia, pro diverso scribendi consilio, diverso quoque occurrere sensu, ita ut germana significatio ubivis fere ex contexta oratione enucleanda sit. Vocabulum πίστις in Pauli scriptis occurrit aut absolute positum, aut conjunctum cum genitivo, modo subjecti modo objecti, tum vero

(1) .... » fidem non esse proprie notitiam aut fiduciam, sed assensum certum atque firmissimum ob auctoritatem primae veritatis et hanc unam esse fidem justificantem." BELLARM. III. p. 941. c. » .... fidei officium non esse efficere ut res obscurae fiant perspicuae, sed ut credantur, etiamsi non appareant. At fides facit quidem, ut intellectus omnino assentiatur, sed non per evidentiam rei, et notitiam causae et proprietatum, sed cedendo auctoritati dicentis. Itaque in fide manet res obscura ut antea erat, sed creditur propter auctoritatem dicentis: non igitur fides proprie loquendo est notitia sed assensus." BELLARM. l. l. p. 944. D.

etiam cum genitivo qualitatis et causae efficientis. Haud secus verbum πιστεύειν aut absolute legitur, aut in formulis πιστ. τινι, πιστ. ὅτι, πιστ. εἰς, πιστ. πρὸς, πιστ. ἐπί τινι, πιστ. ἐπί τινα. Antequam igitur de fide justificante, quam dicunt, disquisitionem instituam, videndum de locis quibusdam est, ubi peculiaris quaedam vocabulis πίστις et πιστεύειν inest significatio.

Ita πιστεύειν τί τινι *confidere alicui aliquid* occurrit *Rom.* III. 2. τὰ λόγια τοῦ θεοῦ, 1 *Cor.* IX. 17. οἰκονομίαν, *Gal.* II. 7. 1 *Thess.* II. 4. 1 *Tim.* I. 11. τὸ εὐαγγέλιον, *Tit.* I. 3. κήρυγμα. Aliis in locis πιστεύειν tantum significat *verum aliquid habere* 1 *Cor.* XI. 18. μέρος τι πιστεύω et 2 *Thess.* I. 10. ἐπιστεύθη τὸ μαρτύριον ἡμῶν ἐφ' ὑμᾶς. Accedit usus verbi quo significat *confidere* 1 *Cor.* XIII. 2, ubi fides non est principium religiosum, quippe cum desit illi amor; coll. 1 *Cor.* XIII. 7 ubi dicitur ἡ ἀγάπη πάντα πιστεύει, *Rom.* VI. 8. Nec desunt loci, in quibus πίστις est sive *bona fides*, fidelitas in servando foedere, uti *Rom.* III. 3. 1 *Tim.* V. 12. *Tit.* II. 10. sive *certa quaedam mentis persuasio*, *Rom.* XIV. 1. 2. 22. 23. sive denique *fides miraculorum*, 1 *Cor.* XII. 9.

Formula πιστεύειν τινι, ut passim in scriptis N. F., significat *confidere alicui*, *credere alicui dicenti et promittenti*, e. g. Deo 2 *Tim.* I. 12. *Tit.* III. 8, aut nuntio cuidam, uti τῇ ἀκοῇ *Rom.* X. 16, τῷ ψεύδει et τῇ ἀληθείᾳ, 2 *Thess.* II. 11. 12. Distinguenda ab hac fidei notione est fides sive *fiducia* in aliquem aut aliquid reposita, quae formulâ significatur πιστ. ἐπί τι et τινα, *Rom.* IV. 5. IX. 33. X. 11. Hinc, quam multiplex sit et

diversus horum vocabulorum usus, apparet. Nonnumquam etiam fit, ut, quo sensu πίστις accipienda sit, dubii haereamus. Huc referendus locus 2 *Thess.* II. 13 πίστις ἀληθείας, ubi difficile est dictu, utrum sit fides veritati habenda, an fides quae veritatis fert characterem. Idem valet de 1 *Tim.* VI. 10, ubi dubitare licet, utrum formulâ φιλαργυρίᾳ τινὲς ἀπεπλανήθησαν ἀπὸ τῆς πίστεως, designentur illi qui a confessione Evangelii defecerint, an potius illi qui ipsam fidem Evangelio habendam abnegaverint. In hac significationum varietate, duae interim locorum classes inprimis in censum veniunt. Altera continet locos illos, in quibus πίστις dicitur *de accipiendo et profitendo Euangelio*, sive *de agnoscendo Jesu tamquam Messia et Servatore.* Sic Christiani dicuntur οἱ πιστεύοντες, tamquam peculiare genus hominum. *Rom.* III. 22. *Gal.* III. 22. 1 *Cor.* I. 21. 1 *Thess.* I, 7. II. 10. 13. sive οἱ πιστεύσαντες, qua formulâ actus fidei, quo homo amplectitur Euangelium, ad praeterita refertur cf. 1 *Cor.* III. 5. *Eph.* I. 13. *Rom.* XIII. 11. Ad hanc classem sunt referendi loci *Rom.* I. 5. 16. III. 25. X. 14. 17. XI. 20. XVI. 26. 1 *Cor.* XV. 2. 11. 14. 17. XVI. 13. 2 *Cor.* I. 24. X. 15. *Gal.* I. 23. III. 2. 5. *Eph.* I. 19. II. 8. *Phil.* I. 27. II. 17. *Col.* I. 23. II. 5. 1 *Thess.* III. 2. 5. 6. 7. 10. IV. 14. 2 *Thess.* I. 10. 1 *Tim.* III. 9. 16. IV. 1. 6. 2 *Tim.* II. 18. IV. 7. *Phil.* 5. Sponte intelligitur, non omnes hosce locos eodem prorsus modo interpretandos esse, sed singulis locis, primariam illam, quam indicavi, significationem, applicandam esse pro

diverso orationis argumento. Ad alteram classem sunt referendi loci, in quibus πίστις dicitur *animus* sive *habitus religiosus hominis Christiani*, quibusque indicatur ratio s. relatio, quae dicitur, quae hominem inter et Deum obtinet. Huc pertinent *Rom.* I. 8. 12. 17. III. 22. 26. 27. 30. 31. IV. 3. 5. 9. 11. 12. 13. 14. 16. 17. 18. 19. 20. V. 1. IX. 30. 32. 33. X. 4. 6. 8. 10. XII. 3. 6. XV. 13. 1 *Cor.* II. 5. XIII. 13. 2 *Cor.* IV. 13. V. 7. VIII. 7. XIII. 5. *Gal.* II. 16. 20. III. 6. 7. 8. 9. 11. 12. 14. 23. 24. 25. 26. V. 5. 6. 22. VI. 10. *Eph.* I. 15. III. 12. 17. IV. 5. 13. VI. 16. 23. *Phil.* I. 25. 29. III. 9. *Col.* I. 4. II. 7. 12. 1 *Thess.* I. 3. 8. V. 8. 2 *Thess.* I. 3. 4. 11. III. 2. 1 *Tim.* I. 2. 4. 5. 14. 16. 19. II. 7. 15. III. 13. IV. 12. V. 8. VI. 11. 12. 21. 2 *Tim.* I. 5. 13. III. 8. 10. 15. *Tit.* I. 1. 4. 13. II. 2. III. 15. *Phil.* 6. — His locis πίστις indicat certam quamdam conditionem religiosam, sive vitae rationem, ipso fidei charactere ab aliis diversam, e. g. *Gal.* III. 7. cf. *Rom.* III. 26. ubi οἱ ἐκ πίστεως dicuntur illi, qui fide, veluti vitae religiosae principio, reguntur; item *Gal.* III. 12. dicitur ὁ νόμος οὐκ εἶναι ἐκ πίστεως, cum legis non sit hominem imbuere vitae principio quod fide continetur. Eodem modo formulâ *Gal.* III. 23, πρὸ τοῦ ἐλθεῖν τὴν πίστιν κ. τ. ἑ. significat Paulus, ante Christum vitae moralis et religiosae conditionem, cujus principium fides est, nondum exstitisse, quia κάλυμμα aderat, quod, quominus in lucem prodiret ἡ πίστις, in Veteris Foederis religione jam latens, impediebat. Ex eadem πίστεως notione interpretamur *Rom.* IV. 11.

δικαιοσύνην πίστεως aut justitiam cujus character fides est (gen. qualitatis) aut justitiam, quae ipsa fide continetur (gen. appositionis). Nec aliter accipienda fides est 2 *Cor.* V. 7. ubi verba: *διὰ πίστεως περιπατοῦμεν οὐ διὰ εἴδους* interpretanda videntur: vivimus per fidem, salutis certissimum fundamentum, non vero simulacris vanâque rerum specie delectamur (1).

Ut vero de fidei salutaris notione recte constet, ante omnia est consulendus locus classicus de fide; *Rom.* IV. et *Gal.* III. ubi Christianorum fides comparatur cum fide Abrahami haecque illius veluti typus dicitur.

Rom. IV. 3: Ἐπίστευσεν Ἀβραὰμ τῷ Θεῷ, *καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην.* Hîc fidei naturam ulterius describit Apostolus, vs. 5 ratiocinio usus e vita communi petito. Fidei h. l. opponitur *τὸ ἐργάζεσθαι*, quod, ratione habita contextûs, dicitur de homine, qui suorum operum meritis justus a Deo haberi studeat. In fide igitur, quippe his opposita, omne omnino excluditur meritum hominis coram Deo; porro vs. 5 illud *πιστεύειν Θεῷ* vocatur *πιστεύειν ἐπὶ τὸν δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ;* qua formulâ indicatur fiducia in aliquem posita, uti quoque historia (Gen. XV) Abrahami fidem proponit tamquam piam fiduciam Dei effatis habitam. Egregie cum his conspirant quae dein a Paulo de Abrahami fide praedicantur, vs. 16, ubi fides ejus refertur ad promissorum expletionem, quae piâ exspectatur fiduciâ, itemque

(1) Cf. Tittmann, *de Synon.* p. 119 et Clar. P. Hofstede de Groot in Diario *Waarheid in Liefde*, 1842. p. 77 sqq.

vs. 17 et 21, ubi Dei omnipotentia fidei dicitur objectum et vs. 18 et 19, ubi fides dicitur certa exspectatio, impletum iri Dei consilium omni quamvis humano intellectu superius. Adde vs. 20, ubi fidei opponitur dubitatio, διακριθῆναι τῇ ἀπιστίᾳ, cf. vs. 19 ἀσθενεῖν τῇ πίστει et vs. 21 πληροφορηθείς. Fidei igitur character cernitur in pia fiducia Deo habita, quippe qui, excluso omni operum merito, hominem peccatorem justum habet, quo igitur simul probatur πίστιν dici de ratione qua *cum Deo* versatur homo. Jam Christianorum fidem, quod ad naturam sive indolem nil quidquam differre a fide Abrahami, diserte affirmatur ab Apostolo vs. 11. 12. 16. 23, ita ut fides Christiana vs. 16. vocetur πίστις Ἀβραάμ, i. e. fides qualem habuit Abrahamus. Idem etiam efficere licet ex iis quae traduntur *Gal.* III, ubi hoc modo ratiocinatur Apostolus. Abrahamo fides imputata fuit in justitiam vs. 6: in hac autem justitiae imputatione continetur εὐλογία quam Deus in ipsum contulit vs. 8. Haec vero εὐλογία non uni fuit data Abrahamo, sed etiam ad ipsius posteros pertinuit, vs. 8. 16. Jam, pergit Paulus, quaestio tantum est, an quis pertineat ad hanc Abrahami sobolem, nam tunc quoque τῆς εὐλογίας fit particeps. Conjunctio autem illa cum Abrahamo spiritualis est naturae, ita ut qui intus Abrahamo similes sint, germani ejus filii habendi sint. Si quis igitur habet πίστιν, filius est Abrahami, εὐλογίαν acquirit, et justus a Deo censetur. Jam vero, cum doceat Apostolus, hanc εὐλογίαν homini in Christo contingere, perspicuum est, hoc ratiocinium omni veritatis fundamento destitutum fore, ni statuas, ejusdem naturae

esse Abrahami fidem ac illam quam Christianis commendat Paulus.

Haec Christianorum fides porro *Rom.* IV. 26 vocatur *πίστις ἐπὶ τὸν ἐγείραντα Ἰησοῦν τὸν κύριον ἡμῶν ἐκ νεκρῶν*. Ratione autem habitâ doctrinae Apostolicae, qua *ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν* censetur Jesus *ὁρισθῆναι υἱὸς θεοῦ*, *Rom.* I. 4, ejusque vita post ejus ex morte reditum, utpote unice Deo dicata, muneris Messiani habetur culmen, *Rom.* VI. 1 sqq., statuendum videtur, Christianorum fidem a Paulo proponi tamquam fiduciam Deo habitam, qui, eo quod Christum e morte reduxit, hunc verum esse Messiam probavit, hac ipsâ vero viâ effecit, ut omnes, qui fide cum Christo conjuncti sint, haud secus atque ille, peccato moriantur Deoque vivant. De fidei indole quaerentibus inprimis commemorandus locus est, *Rom.* III. 26, ubi docet Paulus, Deum non esse *ἄδικον*, ubi justum habet *τὸν ἐκ πίστεως*. Deus enim, quum pro summa ejus perfectione res consideret, uti revera sunt, injustum justum habere nequeat, statuendum est, *πίστιν* ejusmodi quid esse, quod in se *δικαιοσύνης* principium contineat, atque hoc ipso a Deo justitiae loco homini imputari possit. Ad hanc sententiam uberius explicandam facit etiam *Gal.* III. 14. Docet h. l. Apostolus *τὴν εὐλογίαν*, de qua supra sermo fuit, quaeque hîc vocatur *ἐπαγγελία τοῦ πνεύματος*, existere *ἐν Χριστῷ*, hominem vero illius participem fieri *διὰ τῆς πίστεως*; unde necessario sequitur, hominem habere *τὴν πίστιν ἐν Χριστῷ*, i. e. in Christi communione; quae ita cum iis quae supra de fide dicta fuerunt, conjungenda sunt,

ut statuatur, fiduciam illam, sive habitum illum religiosum, quem πίστιν vocat Paulus, tunc demum in homine oriturum esse, quum Christo se dederit, et in ejus communione vivere coeperit. Quum autem non nisi ex fide justificetur homo, facile intelligitur, eum demum ex conjunctione cum Christo a Deo justum haberi. Quin ita conjungitur homo cum Christo, ut Christi vitae particeps factus, cum Christo peccato mortuus, cum illo ad novam resurgat vitam, qua Deo per fidem est conjunctus. *Col.* II. 12. *Rom.* VI. 4 sqq. Jam si omnia colligimus quae hactenus a Paulo de fidei indole didicimus, apparet, fidem illum esse hominis habitum religiosum, quo in nullis non rebus nititur Deo, salutis in Christo oblatae auctore. Habitus autem ille homini oritur et existit in Christi communione, qua ita cum Christo est conjunctus, ut fides, quam per Christum habet, ipsi fons existat vitae spiritualis, similis illi, quam ipse vixit Christus.

At ulterius sunt consulenda Pauli scripta: quumque vix liceat omnia fidei praedicata ibi obvia ad certas revocare classes, praestare videtur singulas ejus perlustrare epistolas, quaeque in illis ad germanam ex mente Pauli fidei notionem intelligendam inprimis facere videntur, paucis pertractare.

Fidem illam quae in Christianorum coetu Romae degentium a Paulo laudatur, *Rom.* I. 8, perque totum percrebruisse dicitur terrarum orbem, cum nullâ magnopere doctrinae copia in rebus Christianis conspicua fuerit, tanto vel sic laudis praeconio a Paulo celebratam

fuisse, explicari nequit, nisi fidem principium habeamus religiosum in vitae sanctimonia conspicuum; uti quoque coetus Corinthiacus, cum *fide* praestare fertur, 2 *Cor.* VIII. 7 animi vere religiosi specimina exhibuisse censendus est. Huic fidei notioni favent loci etiam illi, quibuscum fide arctissime copulatur *ἀγαθὴ συνείδησις*, 1 *Tim.* I. 5. 19. III. 9. Nec aliter sentiendum de loco illo classico *Rom.* I. 17 in quo *δικαιοσύνη θεοῦ*, i. e. conditio hominis moralis, qua Deo revera est acceptus, revelari dicitur *ἐκ πίστεως*. Nisi enim *πίστιν* habeas principium ethico-religiosum, vide quomodo evitari difficultas possit, in justificando homine Deum videri suae ipsius naturae sanctissimae adversari. Accedit, quod etiam ex Habacuci verbis *ὁ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται*, a Paulo laudatis, pateat, fidem haberi vitae religiosae principium; unde simul intelligitur, fructum *τοῦ δικαιωθῆναι ἐκ πίστεως* esse *εἰρήνην πρὸς τὸν θεὸν*, *Rom.* V. 1; quippe cum fides habitus ille hominis sit, quo Deo se placere sibi conscius est, ita quidem, ut fides suapte natura pariat gaudium, *Eph.* VI. 23.

Rom. III. 25. Christus dicitur a Deo propositus fuisse *ἱλαστήριον διὰ πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι*. Sunt qui haec verba ita connectunt, ut sermonem esse statuant de fide in Christi sanguine ponenda, quorum tamen sententia, omni fundamento carens, explicanda videtur ex temere permutatis praepositionibus *ἐν* et *εἰς*. Locus hoc modo est explicandus: Christus in sanguine suo i. e. in morte violenta quam perpessus est, tamquam sacrificium piaculare mundo fuit propositus; homo autem *διὰ πίστεως* hoc gratiae divinae pignus apprehendit. Arctius etiam hoc

fidei cum salute per Christum paratâ describitur vinculum *Rom.* X. 6—11, quo loco sibi invicem opponuntur fidei justitia et justitia ex operibus. Justitia, quae fide nititur, non evehi in coelum neque in abyssum descendere (1) studet, quippe cum id ipsum, quod ex coelo aut abysso petendum esse quis existimet, in Christo jam possideat. Τὸ ῥῆμα scilicet τῆς πίστεως, quod homini prope adest, imo in ejus ore et corde vivit, hominis relatione cum Deo continetur qui Jesum misit, mortuumque in vitam revocavit. Fides hunc laetum salutis nuntium amplectitur atque sic Christum ipsum possidet. Neque igitur haec fides externâ nititur veritatis Christianae cognitione, aut unâ oris continetur confessione, nam fides pertinet ad τὴν καρδίαν vs. 8. 9. 10, et sic salutis acquirendae causa est. Fides igitur est conditio hominis religiosa, in qua per Christi communionem Deo conjunctus vivit. Haud admodum dissimilis usus vocabuli πίστις est *Rom.* XII. 3, quo loco Apostolus Christianos ad hanc modestiam exhortatur, ut sapere studeant ἑκάστῳ ὡς ὁ Θεὸς ἐμέρισεν μέτρον πίστεως, illaque potissimum χαρίσματα acquirere, quae cuique conveniant κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, vs. 6. Πίστις igitur hîc indicat perfectionis religiosae modum, quo quisque est ad varia accipienda χαρίσματα idoneus. Alio modo res proponitur 1 *Cor.* XII. 9, ubi non pro fidei modulo communicari feruntur χαρίσματα, sed ipsa fides, quatenus potissimum in miraculis editis cernitur, inter χαρίσματα recensetur.

(1) Cf. *Deut.* XXX. 11—14.

1 *Cor*. II. 5. Admonet auctor Christianos, ne ipsorum fides sit ἐν σοφίᾳ ἀνθρώπων ἀλλ' ἐν δυνάμει θεοῦ, i. e. ne operetur ipsorum fides per sapientiam humanam scholarum umbris comparatam, sed ut virtute illâ divinâ foras prodeat quae Euangelii est propria, cf. *Rom*. I. 16.

2 *Cor*. I. 24: οὐχ ὅτι κυριεύομεν ὑμῶν τῆς πίστεως. Πίστις hîc dicitur de agnoscendo et profitendo Euangelio, quae tamen vocabuli significatio non multum differt ab altera illa qua hominis Christiani designari vidimus habitum religiosum, nam idem ille animus, quo in Christo veritatem agnoscit homo, eique se totum tradit, in homine quoque fons exstat fiduciae in Deum repositae; quin ipsa illa fiducia reposita in Deo proprie non est nisi sequela accepti Euangelii, in quo Deus hominibus patefit eosque ad se vocat. Jam vero hanc fidem, qua homo Euangelium accipit, nulla niti aliena auctoritate, Paulus docet, quum ne Apostoli quidem in Christianos dominandi jus sibi vindicaverint.

Magni porro momenti ad illustrandam fidei notionem est locus 2 *Cor*. V. 7: διὰ πίστεως περιπατοῦμεν οὐ διὰ εἴδους. Supra jam indicare me memini, vocabulum εἶδος hîc, non magis quam alibi, significare adspectum (aanschouwing) sed externam rerum speciem (schijn). Sequitur hinc, πίστιν non dici inferiorem quemdam cognitionis gradum, neque referri ad res incertas, quippe cum, opinioni cuivis incertae opposita, usurpetur de fiducia religiosa omni dubitatione superiori; qua igitur interpretatione vulgare illud discrimen fidei et scientiae, tamquam minoris et majoris cognitionis gradûs, corruere, in oculos incurrit.

Gal. V. 6 docet Paulus, quomodo fides illa, qua unica hominis coram Deo continetur praestantia, in lucem prodeat et vim suam exerceat; vocatur enim *πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη*.

Eodem principio religioso, quod fides dicitur, continetur etiam vinculum, quo inter se conjuncti sunt fideles. Communia enim omnibus sunt *εἷς κύριος, μία πίστις, ἓν βάπτισμα*, *Eph.* IV. 5. Hinc Paulus memorat *τοὺς οἰκείους τῆς πίστεως* *Gal.* VI. 10 h. e. ejusdem principii religiosi participes, quibus, utpote ejusdem familiae sociis, ante omnes alios, benefacere par est. Eodem modo Timotheum *γνήσιον τέκνον ἐν πίστει*, 1 *Tim.* I. 2 et Titum filium vocat *κατὰ κοινὴν πίστιν*, *Tit.* I. 4 eumque jubet *ἄσπασαι τοὺς φιλοῦντας (ἡμᾶς) ἐν πίστει* III. 15, ita ut fidem esse appareat fundamentum fraterni Christianorum amoris. Fides quoque omnes adducit ad concordiam fraternam *Eph.* IV. 13. (1). Tandem Paulus, ubi versatur in describenda armatura Christiana, *Eph.* VI. 16 lectores admonet, ut induant scutum fidei, quo resistere valeant ardentibus diaboli telis: ex quo igitur loco iterum apparet, fide, utpote verae religionis principio, superari omnes peccati illecebras.

Collectis ita ex Pauli effatis praecipuis fidei attributis, inquirendum superest, quo accuratius de fidei notione constet, quid sit, ex Pauli sententia, fidei objectum. Saepenumero objectum vocabulorum *πίστις* et *πιστεύειν* non

---

(1) Vid. Clar. W. A. van Hengel, in *Bijdr. ter bev. v. bijb. uitlegk.*, verz. door B. van Willes, 1843, T. II. p. 130 sq.

diserte enuntiari, facile intelligitur, quoties fide simpliciter indicatur hominis Christiani habitus religiosus. Ubi enim quis dicitur pio aut bono esse animo, non opus est ut de industriâ addatur, hanc pietatem versari erga Deum. Contra vero, quoties πιστεύειν occurrit de accipiendo Euangelio, sive de agnoscendo Jesu tamquam Messia, re ipsa patet, Euangelium aut Christum fidei esse objectum, uti in formulis πιστεύειν εἰς Ἰησοῦν Χριστὸν, *Rom.* X. 14. *Gal.* II. 16. *Phil.* I. 29 et πρὸς τὸν κύριον Ἰησοῦν *Phil.* 5, aut seq. ἐπί c. dat. 1 *Tim.* I. 16. Nullibi vero aut facta historica, nude et sigillatim spectata, aut aliqua doctrinae formula, objecta fidei dicuntur, per quam justificatur homo. Nequaquam scilicet πίστις habenda merus facti qualiscunque historicus assensus est; nam ubi, v. c. 1 *Cor.* XV. 14. 17 Christianorum fides κενὴ et ματαία vocatur, nisi revera Deus Christum e morte reduxerit, non ipsum factum resurrectionis Christi per se spectatum fidei objectum princeps est, sed ipsam corruere fidem religiosam, ipsam adeo religionem, Paulus docet, si, quod Corinthiorum erroribus erat consequens, Christo mors interitus, non transitus ad novam vitam eamque immortalem fuerit. Ita etiam quum dicuntur Hymenaeus atque Philetus commento de mortuorum resurrectione jam facta nonnullorum fidem subvertisse (1), apparet ex vs. 19, errores illos cum levitate morum proxime conjunctos fuisse, *fidem*que igitur et h. l. significare fidem religiosam, quam labefactasse illi erroribus suis dicuntur.

(1) 2 *Tim.* II. 17.

Ubi autem quaeritur, ecquod sit objectum fidei illius per quam justificetur homo, unice respondendum videtur, uti religionis, ita fidei etiam religiosae objectum esse *Deum*, quam sententiam probari comparatione Christianorum fidei cum fide Abrahami, supra jam dictum fuit. Neque ad illam oppugnandam valet formula πίστις Ἰησοῦ Χριστοῦ, quippe quae, ut mox apparebit, explicanda non est de fide in Jesum habita: contra vero fides justificans, quam vocant, dicitur πίστις ἐπὶ τὸν (Θεὸν) δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ, *Rom.* IV. 5 et ἐπι τὸν ἐγείραντα Ἰησοῦν τὸν κύριον ἡμῶν ἐκ νεκρῶν, *Rom.* IV. 24 atque 1 *Thess.* I. 8 πίστις πρὸς τὸν Θεόν.

Itaque fide indicari a Paulo hominis animum s. habitum illum religiosum, quo, quippe Euangelii praedicatione excitato, ita Euangelium accipit, Jesumque agnoscit Messiam, ut ipso auctore in nullis non rebus Deo confidat, qui Christo Servatore mittendo, summum amoris sui homini peccatori dedit pignus. Hinc ipsa haec fides Deo habita ita cum Christi Messiae agnitione proxime cohaeret, ut homo ipsius vitae particeps factus, cum illo peccato moriatur Deoque vivat. Hoc modo fides vitae soli Deo dicatae in homine est principium, omnesque Christianos ita conjungit, ut veluti unius filiorum Dei familiae membra sint. Haec igitur est fides, haec conditio religiosa, quam, teste Paulo, justitiae instar verae Deus reputat.

Longior fui in exponendo capite de fide ob argumenti gravitatem; mox enim apparebit, quanti intersit in justificationis explicanda notione, recte existimare de fide.

Restat ut receptas perscrutemur formulas, quibus in hac exponendâ doctrinâ utitur Apostolus.

Πίστις Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Formula haec occurrit *Rom.* III. 22. *Gal.* II. 16. 20. III. 22. *Eph.* III. 12. *Phil.* III. 9 eoque majoris momenti est habenda, quum illâ tum praesertim utatur Paulus, ubi de industriâ de justificationis modo disserit. Atqui in interpretanda hac formula quam maxime dissentiunt viri docti, quapropter praecipuae sunt examinandae sententiae.

1. Vulgo verbis Ἰησοῦ Χριστοῦ indicari censetur fidei objectum, ita ut formula sit interpretanda: *fides reposita in Jesu Christo*, idemque adeo significare existimetur atque ἡ πίστις εἰς Ἰησοῦν Χριστόν. Jam negari quidem nequit, genitivum h. l. gen. objecti esse posse: non tantum enim nominibus, derivatis a verbis, quorum objecta apponuntur ope accusativi, subjunguntur objecta in genitivo, uti ἀγάπη τοῦ Θεοῦ, amor erga Deum, 1 *Joh.* V. 3, verum idem quoque obtinet, ubi nomina illa derivantur a verbis, quorum objecta cum verbo copulantur ope dativi. Sic διακονία τινος a verbo διακονεῖν τινι 2 *Cor.* XI. 8 ubi Corinthii τῆς διακονίας sunt objecta, προσευχὴ τοῦ Θεοῦ a verbo προσεύχεσθαί τινι, *Luc.* VI. 12 ubi Deus objectum adorationis est (1). Ita πίστις Θεοῦ *Marc.* XI. 22,

(1) Dubitari potest an huc quoque sint referenda ὑπακοὴ πίστεως *Rom.* I. 5. XVI. 26 et ὑπακοὴ Χριστοῦ, 2 *Cor.* X. 5: nam prior illa

a verbo πιστεύειν τινι, est *fides Deo habita*, nisi quis malit interpretari, *fides qualem Deus postulat*, accepto genitivo, ut in formulis δικαιοσύνη θεοῦ *Matth.* VI. 33 et περιτομὴ Χριστοῦ *Col.* II. 11. Haec ubi applicantur ad nostram formulam, πίστις Ἰησοῦ Χριστοῦ significare posset *fidem Jesu Christo habitam.* Haec tamen interpretatio, tametsi grammatice ferenda, vel sic hac premitur difficultate, quod formula πίστις τινος, quippe a formula πιστεύειν τινὶ derivata, fidem significaret Jesu Christo, sive loquenti, sive docenti, habitam, non vero fidem repositam in Christo, πίστις εἰς Ἰ. Χρ. Jam vero τῷ πιστεύειν Ἰησοῦ Χριστῷ in Pauli systemate locus non est, unde sequitur, in formulâ πίστις Ἰησοῦ Χριστοῦ genitivum non de objecto fidei explicari posse. Quodsi vel maxime πίστις τινὸς significare idem possit atque πίστις εἰς τινα, quaerere vel sic jure liceat, quare Paulus, ubi Jesum Christum fidei objectum proponit, formulâ ipsâ πίστις εἰς Ἰ. Χρ. usus non sit, alibi in scriptis ipsius obviâ. *Col.* II. 5. cf. *Rom.* X. 14. *Gal.* II. 16. Quod vero prorsus impedit, quominus formulis πίστις Ἰησοῦ Χριστοῦ et πίστις εἰς Ἰ. Χρ. eamdem significationem tribuamus, discrimen est, quod inter utramque formulam ab ipso Paulo facere jubemur: *Gal.* II. 16. Ἡμεῖς, inquit, ἐπιστεύσαμεν εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν, ἵνα δικαιωθῶμεν ἐκ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ.

2. Quaeri ergo possit, an forte genitivo in formula

---

formula coll. *Act.* VI. 7 ὑπακούειν τῇ πίστει quod cum Bengelio vertatur: *Deo obedire fidem habendo Euangelio* accipi potest de obsequio Deo praestito, in fide conspicuo: dum formula ὑπακοὴ Χριστοῦ apte dicitur obedientia quam postulat Christus.

laudata fidei *subjectum* indicetur, ita ut πίστις Ἰησοῦ Χριστοῦ sit *fides fidei*, *quam Deo habuit ipse Christus*, *similis*, quam igitur jubeantur Christiani per fidem εἰς Ἰησοῦν Χριστὸν, ut cetera omnia quae Christi propria sunt, acquirere. Respondendum videtur, non esse, cur a priori, ut dicunt, rem ita se habere *posse* negetur genitivo enim vocabulo πίστις adjuncto, haud raro fidei designatur subjectum, ut est in locis 1 *Thess.* III. 5. 6. 7 et vero *Rom.* IV. 16 πίστις Ἀβραάμ. Nec objici potest, Christo fidem adscribi non posse, quum *Hebr.* XII. 2 occurrat auctoris Apostolici effatum, quo Christus proclamatur ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς τῆς πίστεως. Quid? quod ne ex ipsius quidem Pauli sententiâ, Christo fides abjudicari posse videatur, quod illi statuant necesse est, qui Deum potissimum *peccata condonantem*, fidei objectum habeant in Pauli systemate. Scilicet homini fides a Paulo non commendatur tamquam peccatori, sed utpote praedito naturâ religionis capace; neque venia peccatorum fidei est *objectum* sed *praemium*. Fides autem in Deum reponenda, ut vidimus, illud est in homine principium morale et religiosum, quo fit, ut homo Deo sit gratus et acceptus, ut verbo dicam, quo justus esse a Deo judicatur. Justificatio illa, si hominem peccatorem habeat objectum, conjungitur, ut res ipsa loquitur, cum beneficio veniae peccatorum, in ipso autem justo locum habet sine hoc beneficio, unde sequitur, et ab hac parte nil quidquam obstare, quominus statuamus, hominem, ex Pauli etiam sententia, justificari posse per fidem fidei ipsius Jesu similem, eâque ipsâ lege, quod Jesum consummatae πίστεως exemplum

sequatur, veniam peccatorúm nancisci, per gratiam divinam. Praeterea favere videtur huic interpretationi comparatio fidei Abrahami cum fide Christianorum; nam uti in his requiritur πίστις Ἀβραάμ, i. e. fides talis, qualem habuit Abrahamus, ita quoque homini Christiano tribui potest πίστις Ἰησοῦ Χριστοῦ, i. e. fides similis fidei quam habuit Christus, quae interpretatio plurimis commendatur similibus exemplis, uti ἡ νέκρωσις τοῦ Ἰησοῦ et ἡ ζωὴ τοῦ Ἰησοῦ, 2 *Cor.* IV. 10, στίγματα Ἰησοῦ, *Gal.* VI. 17, ὁ ὀνειδισμὸς τοῦ Χριστοῦ, *Hebr.* XI. 26 (1). Ne tamen huic interpretationi calculum adjiciamus, obstat observatio, unum idque gravissimum argumentationi deësse. Scilicet probandum foret, Paulum complexum perfectionis religiosae in ipso etiam Christo cogitasse formâ fidei Deo habitae. Haec vero sententia nullibi diserte enuntiatur, quin illius ne vestigia quidem adsunt; quare quum interpretatio illa typum Paulinae cogitandi rationis minus referat, quot et quanta illam tueantur praesidia, hanc unam ob causam comprobari nequit.

3. Restat igitur, ut verbis Ἰησοῦ Χριστοῦ, in formula laudata, indicari statuamus, sive fidei *qualitatem*, sive ejusdem *causam efficientem*, quae significationes in sensu constituendo formulae Paulinae fere eodem redeunt. Est igitur πίστις Ἰησοῦ Χριστοῦ *fides, quae fert*

---

(1) Exempla collegit Clar. J. H. SCHOLTEN, *de leer der Herv. Kerk*, T. II. Edit. 1ae. p. 40.

characterem Christianum, sive *fides*, *cujus auctor est Christus.* Harum significationum utramvis praeferas, formulâ πίστις Ἰησοῦ indicari fidem videmus, quam Deo habet homo Christianus, quamque ut habere possit, effecit vivendo et moriendo Christus. Hanc fidem Apostolus proponit tamquam summum religiositatis fastigium. Talis enim genitivi, rei indicantis qualitatem, exempla adsunt numero multa. Ita δικαιοσύνη πίστεως s. τῆς πίστεως *Rom.* IV. 13. 11, significat justitiam cujus character πίστις est, sive justitia quae ex fide oritur. Huc etiam pertinent περιτομὴ τοῦ Χριστοῦ *Col.* II. 11 = περιτομὴ τῆς καρδίας, *Rom.* II. 29, ejusmodi igitur περιτομὴ, quae, naturâ suâ Christianâ, est opposita τῇ περιτομῇ τοῦ νόμου; νόμος πίστεως *Rom.* III. 27, oppositus νόμῳ ἔργων; sic quoque ζωὴ θεοῦ *vita divina*, *Ephes.* IV. 18.; πανοπλία τοῦ θεοῦ *Eph.* VI. 11, *armatura divina*, s. quam Deus exhibet; δεσμοὶ τοῦ εὐαγγελίου *Phil.* 13 *vincula Euangelica*, s. quibus Euangelii causâ quis constringitur; εὐχὴ τῆς πίστεως *Jac.* V. 15 *preces fidei*, quae per fidem funduntur et fidei characterem prae se ferunt; quae omnia ita dicuntur, quia vita atque armatura Deo debentur, quia vincula Paulo Euangelii causâ fuerant imposita, et quia fides preces illas profert. Quum igitur haec interpretatio, qua verbis Ἰησοῦ Χριστοῦ fidei qualitas indicatur, non aliena sit a solita Pauli dicendi ratione, statuendum videtur, formulâ πίστις Ἰησοῦ Χριστοῦ indicari fidem, cujus character est Christianus, quippe auctore Jesu excitatam et

tamqnam justificationis legem a Jesu postulatam (1). Ita haec fides, apposito Ἰησοῦ Χριστοῦ nomine, distinguitur ab omni alia fide, e. g. a fide Abrahami, quae quidem, quoad ejus naturam, cum fide Christianorum convenit, non vero est πίστις Ἰησοῦ Χριστοῦ, quia Christum non habet auctorem.

His igitur expositis videndum est quemnam locum in Pauli systemate fides occupet. Quod Paulus summum habebat, quodque omni animo acquirere studebat, hoc erat, ut haberet δικαιοσύνην τὴν διὰ πίστεως Χριστοῦ *Phil.* III. 9, et quoties plenam exhibet justificationis doctrinae expositionem, illam contingere homini aït, διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Rom.* III. 22. *Gal.* II. 16. Habitu scilicet religioso illo, cujus auctor Christus vivendo et moriendo factus est, illa continetur hominis conditio, in qua justus a Deo haberi possit. Promissio benedictionis sive justificationis, quam Deus Abrahamo dederat, sub lege impleri non poterat, quoniam lex illud in homine excitare nequeat principium, quod promissae salutis acquirendae lex requiritur a Deo. Hujus vero in homine conditionis religiosae s. πίστεως auctor Christus est habendus, quandoquidem vitâ et morte homini peccatori ad Deum viam straverit. Hinc fit, ut, nisi per fidem in Christo repositam atque per intimam cum Christo conjunctionem, nemo τῆς πίστεως *Deo* habendae, adeoque promissae justificationis particeps fiat *Gal.*

(1) Jacobus formulâ *πίστις Ἰησοῦ Χριστοῦ* II. 1 indicare videtur fidem quae Jesu debetur, s. aliis verbis, fidem Christianam.

III. 22. De hac igitur fide testari Paulus potuit: ὃ δὲ νῦν ζῶ ἐν σαρκὶ, ἐν πίστει ζῶ τῇ τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ τοῦ ἀγαπήσαντός με καὶ παραδόντος ἑαυτὸν ὑπὲρ ἐμοῦ *Gal.* II. 20, quum scilicet homo Christianus per fidem illam, Jesu auctore Deo habitam, se Deo probari sibi conscius sit, atque igitur διὰ τῆς πίστεως Ἰησοῦ habeat τὴν παῤῥησίαν καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει ad Deum. *Eph.* III. 12.

Πίστις ἡ ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ.

Ex disputatis hactenus facile intelligitur, fidem illam quam Jesus postulat, cujusque ipse auctor est, acquiri non posse nisi in Christi communione. Exprimitur haec communio a Paulo formulâ εἶναι ἐν Χριστῷ cf. *Gal.* III, 26 (ubi verba ἐν Χρ. Ἰ. ad totam referenda sunt sententiam, non tantum ad verba διὰ τῆς πίστεως) et *Eph.* I. 13. Si quis igitur est ἐν Χριστῷ, tum quoque habet πίστιν τὴν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ (1) i. e. *fides quae Deo habetur in Christi communione.* Saepissime autem hanc formulam interpretantur theologi, ac si idem significaret quod πίστις εἰς Ἰησοῦν, *fidem in Jesu collocandam;* atqui sic vera praepositionis ἐν negligitur vis, nam πίστις ἔν τινι proprie non esset fides alicui habita, sed fides in aliquo, i. e. fides quae alicui inest. Jam locis laudatis sermonem non esse de fide quae ipsi Jesu inest, quis diffitetur? Praeterea hoc modo eadem illa existeret tau-

(1) *Eph.* I. 15. *Col.* I. 4. 1 *Tim.* I. 14. III. 13. 2 *Tim.* I. 13. III. 15.

tologia atque confusio cum formula πιστ. εἰς Ἰ. Χρ. quam supra in exponenda formula πίστις Ἰησοῦ Χριστοῦ observavi. Quare statuere praestat, in formula, de qua agitur, πίστιν absolute usurpari de *fide Deo habita*, verbisque ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ indicari modum, quo haec acquiritur πίστις, scil. in Christi communione. Hanc interpretationem quoque comprobat ipsius formulae usus, 1 *Tim.* I. 14 (cf. 2 *Tim.* I. 13), quo loco abundare contendit Paulus gratiam Domini μετὰ πίστεως καὶ ἀγάπης τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, cujus sententiae verba postrema haud minus ad πίστιν sunt referenda quam ad ἀγάπην, uti etiam in simili formula *Eph.* I. 15. *Col.* I. 4 ἐν Χρ. Ἰ. pertinet ad τὴν πίστιν. Jam verba ἀγάπη et ἐν Χρ. Ἰ. non ita conjungi posse, ut significetur amor erga aliquem, quis non videt? neque igitur idem de fide est admittendum. Constat igitur τῇ πίστει Ἰησοῦ Χριστοῦ antecedere debere τὴν πίστιν τὴν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ et ad hanc requiri τὸ εἶναι ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.

Πίστις εἰς Ἰησοῦν Χριστόν.

Ultimo loco restat quaestio, quomodo homo perveniat ad illud εἶναι ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ, adeoque ad πίστιν τὴν ἐν Ἰ. Χρ. Via huc ducens a Paulo indicatur formulâ Johanni frequentissimâ, ipsi vero minus usitatâ, hac scil.: πιστεύειν et πίστις εἰς Ἰησοῦν Χριστόν. *Rom.* X. 14. *Gal.* II. 16. *Phil.* I. 29. *Col.* II. 5, pro qua semel etiam occurrit πιστ. πρὸς τὸν κύριον Ἰησοῦν; quibus locis solenni hacce formula, de qua vix disputari potest,

indicatur animus ille hominis religiosus, quo Euangelium amplectitur, Jesum agnoscit Messiam, eique se totum tradit, ut in ipsius communione vivat. Nititur autem hic fidei Euangelii praedicatione, quare πίστις dicitur esse ἐξ ἀκοῆς *Rom.* X. 17, hominisque voluntas et capacitas Euangelium amplectendi πιστεύειν τῇ ἀκοῇ *Rom.* X. 16; quae omnia iterum pendere a vocatione divina, infra patebit.

His ita expositis, doctrina Pauli de justificatione eo redit. Justificatur homo ex fide, cujus objectum Deus est. Fidei hujus Jesus vivendo et moriendo Deumque nobis manifestando auctor exstitit. Acquiritur autem haec fides ab illis, qui, Jesum Messiam agnoscentes atque in illo fiduciam collocantes, in ejus communione vivunt. Πιστεύομεν εἰς Ἰησοῦν Χριστὸν, ἵνα ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ ἐκ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ δικαιωθῶμεν. Qui justus a Deo reputari cupit, is Jesum agnoscat Messiam atque promissum Servatorem (πιστευέτω εἰς αὐτὸν), ut in ejus communione (ἐν αὐτῷ ὢν) hac fide cum Deo conjungatur, quam Jesus summam homini legem proposuit, qua gratus esse Deo possit, cujusque ipse auctor vivendo et moriendo fuit (πίστις Ἰησοῦ Χριστοῦ).

CAPUT IV.

DE GRATIA DIVINA JUSTIFICATIONIS FUNDAMENTO.

Quae hactenus a me exposita sunt, eo valuerunt, ut, cum ex sententia Judaeorum per legis observantiam acquiri, imo mereri, justificatio existimaretur, Paulus, pro operibus, fidem justificationis acquirendae legem substituerit. Hinc vero sponte oritur quaestio, an non sic videatur Apostolus fidei vim meritoriam tribuere, quam operibus denegat, atque igitur sibimet ipse contrarius esse, ubi *per unam gratiam Dei*, adeoque δωρεὰν justificari hominem, excluso omni, tam operum quam fidei, merito, contendat. In hac quaestione enucleanda ita versabor, ut primum ostendam, ex mente Pauli, fidei, omnem abjudicari vim meritoriam ad justificationem, dein vero, unicum justificationis fundamentum esse Deum.

§ 1.

Fidei meritum in justificando homine tribui ex mente Pauli nequit.

A fide omnem merendi vim abesse probatur, cum fidei indolis, tum ipsius originis, habita ratione. Primum de ejus indole videamus, in qua disquisitione duo inprimis in censum veniunt.

a. Fidei indoles omne merendi studium excludit. Ad hanc sententiam probandam, provocare licet ad ea, quae, in cap. III, fusius de fidei indole exposita fuerunt. Vidimus scilicet praesertim ex analogia fidei Abrahami et fidei Christianae, characterem ejus ferre, ut, omni in Deum collocatâ fiduciâ, ab illo uno nullum non homo exspectet bonum, propriisque viribus confidere desinat. Hinc, oppositis, ut fieri a Paulo solet, τῷ πιστεύειν et τῷ ἐργάζεσθαι, Galatas alloquitur V. 5 πνεύματι ἐκ πίστεως ἐλπίδα δικαιοσύνης ἀπεκδεχόμεθα; et Christianis in mentem revocat, *Eph.* II. 8: τῇ χάριτί ἐστε σεσωσμένοι διὰ τῆς πίστεως, καὶ τοῦτο οὐκ ἐξ ὑμῶν, θεοῦ τὸ δῶρον. Ubi igitur donum, nullum est meritum.

b. Merendi studium si abest ab ipsa fidei indole, hoc ipsum, fidem non esse meritoriam, clarius etiam apparebit, ubi observaverimus, *fidem manere imperfectam in hac vita.* Ubi enim de merito agitur, quaestio esse nequit de fide, quatenus aliquando perfectae virtutis fons homini existet, sed, ut fides justificationem mereri revera

dici possit, ipsâ conspicua sit perfectione oporteat, quam igitur Deus debita remuneretur justificatione. Nam etsi per fidem perfectae justitiae principium homini insit, non tamen, quatenus peccati vi nondum totus est exemtus, ab omni parte justus est habendus. Haud magis igitur, ubi de stricto jure, ut fieri solet in legis oeconomia, sermo est, fides quam opera legis justificationem per viam meriti afferre existimanda est. Nam quum ὁ πιστεύων, haud secus atque ὁ ἐργαζόμενος, in multis aberrare a vero pergat in hac vita, sequitur ex legis normâ: ὅτι ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς, neminem justificationis suis ipsius meritis fieri posse compotem.

Idem apparet, ubi spectamus salutaris fidei originem. Quod hic primum observemus, hoc est:

a. *Justificationem per fidem locum habere, praeeunte peccatorum remissione.* Fides si mereretur justificationem, ipsa per se integrae homini rectaeque erga Deum relationis causa esset. Quum vero homo, anteaquam Euangelium acceperit, peccati obnoxius fuit dominio, necesse est, una cum justificationis beneficio culpam antea contractam divinâ gratiâ deleri. Hinc patet, fidem justificationis causam meritoriam nequaquam haberi posse. Quid enim est peccatorum remissio? Quid aliud, quam actus gratuitus, quo Deus non judicis instar peccatores damnat, sed patris instar amare et beneficiis ornare liberos suos pergit, eosque ad virtutem veram instituere, imo vero ipsis utitur peccatis, ab homine commissis, et damnis inde ortis, ut hominem peccatorem ad me-

liora ducat. Est autem haec peccatorum remissio omnis a nobis salutis consequendae fundamentum. Si Deus peccata judicis instar imputasset, neque miseruisset ipsum generis humani, tum neque Christum misisset nec morti eum tradidisset, ut justificationis auctor hominibus existeret. Θεὸς ἦν ἐν Χριστῷ κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ, 2 *Cor.* V. 19; h. e. in Christo id egit, ut homines secum reconciliaret. Deus autem, ut hoc perficeretur, suâ commotum fuisse misericordiâ, eodem loco testatur Apostolus. Scilicet reconciliavit secum homines, μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν. Hinc patet, peccatorum veniam in Deo ceteris omnibus beneficiis divinis antecedere, fide vero acquiri a peccatore justificationem, remissis peccatis antea commissis, ut adeo non sine gravissimo errore, fidei tribui vis merendi possit, cum tantum absit, ut Deus per fidem nostram hominibus ὀφειλέτης fiat, ut contra ipsi a remissione τῶν ὀφειλημάτων inchoandum sit, ut δικαιώσεως beneficium in hominem conferat. Est hoc, quod Paulus disertis verbis docet, ubi, amoris sui documentum summum, Christo mittendo, dedisse Deum perhibet, *Rom.* V. 8: ἔτι ἁμαρτωλῶν ὄντων ἡμῶν, nos secum reconciliavit, μὴ λογιζόμενος τὰ παραπτώματα et ὑμᾶς νεκροὺς ὄντας ἐν τοῖς παραπτώμασιν — συνεζωοποίησεν σὺν αὐτῷ χαρισάμενος ἡμῖν πάντα τὰ παραπτώματα, *Col.* II. 13.

b. Accedit, ne quidquam meriti tribuatur fidei, quod, etiamsi fides lex sit, qua unâ Deus vult justum habere hominem, hoc ipsum, quod huic legi ab homine satisfiat, ipsius Dei gratiae debetur. Scilicet qui ἑκάστῳ ἐμέ-

ρισεν μέτρον πίστεως, ex Pauli sententia, *Deus* est, *Rom.* XII. 3; et Christianis τὸ εἰς Χριστὸν πιστεύειν ἐχαρίσθη, *Phil.* I. 29. Dicitur hanc ob causam fides, πίστις τῆς ἐνεργείας τοῦ θεοῦ (genit. causae) *Col.* II. 12 (cf. πιστεύειν κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, *Eph.* I. 19) cf. 1 *Cor.* II. 5 et 2 *Thess.* I. 11, totumque adeo salutis opus, τὸ σωθῆναι διὰ πίστεως, θεοῦ δῶρον dicitur *Eph.* II. 8. Quare in κλήσεως notione simul ipsa fidei notio contineri solet. Nam si Deus dicitur δικαιοῦν quem ἐκάλεσε, sequitur καλεῖν non tantum indicare, *invitare ad fidem per Euangelii praedicationem*, sed, inclusâ fide, *adducere ad fidem;* nisi quis forte Paulo hanc tribuat sententiam, omnes, qui praedicatione Euangelii invitati sunt, hos etiam a Deo justificari; quod alienum esse a Pauli mente. vel me non monente, sponte intelligitur. Deus igitur et hîc fidei, ut cujuscunque boni, auctor esse dicitur. Quod quomodo dici possit, salvâ naturâ hominis morali, sponte intelligitur, dummodo teneamus, humanum et divinum, ex Pauli sententia, non ita sibimet invicem opponi, ut actio hominis actionem Dei tollat, neque effato: θεός ἐστιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας, excludi monitum, μετὰ φόβου καὶ τρόμου τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν κατεργάζεσθε, *Phil.* II. 12. 13. Clarius etiam res explicatur ex illa naturae tam physicae, quam moralis lege, cujus auctor ipse Deus est, lege scilicet, qua res cognatae ad se invicem trahuntur. Uti enim chalybs resistere nequit magneti attrahenti, sic

quoque hominis natura, utpote originis et indolis divinae, sponte suâ attrahitur quacunque Dei revelatione, illâ praesertim, quae in Christo, Dei filio, humano generi contigit. Fides igitur cum hac necessitatis moralis lege, a Deo ipso institutâ, in homine existat, sequitur, in fide, haud secus atque in quavis aliâ re bona, quidquam esse, quod non a Deo, omnium bonorum fonte repetendum sit, ut meritis humanis haud magis in fide quam in operibus locus esse ullus possit.

§ 2.

Non igitur homo, sed Deus justificationis fundamentum.

His expositis, vix argumentatione eget, ex Pauli sententia, non hominem, sed Deum unicum habendum esse justificationis fundamentum. Disertis verbis hoc ubivis in scriptis suis Paulus docuit. Sic *Rom.* III. 24: οἱ πιστεύοντες dicuntur δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ τοῦ Θεοῦ χάριτι, quo fit ut omnis secludatur καύχησις vs. 27. Item *Rom.* V. 15 justificationis causa vocatur ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ, ipsaque justitia donum divinum dicitur, ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι et vs. 17 ἡ περισσεία τῆς χάριτος atque ἡ δωρεὰ τῆς δικαιοσύνης. Adde, *Rom.* VIII. 30, justificationis fundamentum quaeri in Dei consilio aeterno, ita ut illos quos praecognovit, hos etiam destinaverit ad similitudinem imaginis Christi, per fidem suo tempore vocaverit, justi-

ficaverit, atque aeternâ gloriâ beaverit. His igitur ne minimus quidem in salute acquirendâ relinquitur merito humano locus. Sic undique cum Paulo fateri cogimur: θεός ἐστιν ὁ δικαιῶν, *Rom.* VIII. 33; illamque, quae fide continetur, hominis integritatem, proprio dicere sensu, non ἰδίαν δικαιοσύνην, sed δικαιοσύνην θεοῦ, ἐκ τοῦ θεοῦ, justitiam, cujus ipse Deus in homine auctor est.

CAPUT V.

DOCTRINAE DE JUSTIFICATIONE PER FIDEM VINDICATIO EJUSQUE NOSTRA ETIAM AETATE MOMENTUM ET AUCTORITAS.

Superest, ut doctrinam Pauli de justificatione a nonnullis dubitationibus vindicemus, quibus, ex nonnullorum sententia, premi videatur, ejusque praestantiam in luce collocemus.

Ex fide hominem justum aestimari multis visum est cum ethices indoli, tum vero Dei sanctitati repugnare; quod quam injuriâ dicatur, ex ipsa fidei notione et indole, recte intellectis, sponte intelligitur. Quare in ultima hac disputationis parte eo mihi esse breviori licebit, quo accuratius de fidei charactere, vere morali, ex iis quae hactenus exposita fuerunt, constitit. Doctrinae de justificatione ex fide vindicatio tribus observationibus absolvetur: 1. fide per se spectatâ omnem contineri hominis perfectionem moralem; 2. fidem in homine etiam

imperfectam in Christi communione initia continere fidei perfectae; 3. Deum in Christi perfectione perfectionem eorum intueri qui in Christi communione vivunt.

§ 1.

Fide perfectio hominis moralis continetur.

Fides si esset mentis tantum assensus, quem certae cujuspiam doctrinae formulae praebere hominem oporteat, ut a Romano-Catholicis intelligitur, Jacobo nemo non assentiretur, ejusmodi fidem justificationis esse causam nullo modo posse. At vero in doctrina Pauli fidei character adeo est moralis, ut

a. sine operibus et vitae sanctitate ne cogitari quidem possit. Fides, ex Pauli sententia, non mentis historicus assensus est, sed firma animi est fiducia reposita in Deo, omnis salutis auctore. Haec fides, qua se in omnibus vitae rebus Deo conjunctum homo sentit, suaeque relationis cum Deo, omnium bonorum omnisque sanctitatis fonte, sibi conscius est, non potest non suapte naturâ hominem avertere a peccato, eumque incitare, ut omnium virium intentione animum et vitam Deo consecret. Haec, supra uberius exposita, hîc verbo indicasse sufficiat. Quodsi autem hujus sententiae praesidia ex ipsis Pauli quaeruntur scriptis, inter alia permulta, videantur *Rom.* I. 8. 17. V. 1. 2 *Cor.* VIII. 7. 1 *Tim.* I. 5. 19. III. 9.

Rom. X. 6—11. VI. 2. *Gal.* II. 20. V. 6. cf. *Act.* II. 44. coll. vs. 38. 1 *Petr.* I. 5; multique alii loci in Johannis cum Euangelio tum Epistolis; ad quae omnia conferri possunt quae in Cap. III annotata fuerunt. Hanc fidei indolem egregrie descripsit auctor Catechismi Heidelbergensis, Quaest. 64, „fieri non posse", dicens, „quin ille, qui sincerâ fide Christo sit insitus, grati animi fructus proferat." Quumque illa demum virtus alicujus habenda pretii sit, quae ex amore erga Deum oritur, amor autem erga Deum non nisi ex fide proficiscatur, facile intelligitur, fidem nullam esse posse, quin operibus Deo gratis vitaeque sanctitate se prodat. Fides virtutis verae est principium et fons, singulis operibus tantum praestans, quantum fons rivulis inde derivatis. Una igitur fide cum justificari hominem contendat Paulus, excludit quidem *τὰ ἔργα τοῦ νόμου*, non vero *τὰ ἔργα* ipsa. Quocirca justificari ex fide in systemate Paulino idem est atque justificari propterea, quod justus es, quippe cum fide omnis contineatur perfectionis humanae principium et fons.

b. Hanc justificandi viam Deo indignam non esse, eo etiam magis in oculos incurrit, observantibus nobis, tantam esse fidei praestantiam in systemate Paulino, ut ne in alterâ quidem post mortem vitâ aliud perfectionis principium homini affuturum esse doceat Paulus.

Postquam enim in 1ª Epist. ad *Cor.* cap. XIII varia enumeraverat *χαρίσματα*, quae ad praesentem vitam pertinent, et morte intereunt, haec addit verba: *νυνὶ δὲ μένει πίστις, ἐλπὶς, ἀγάπη;* quibus igitur diserte affir-

mat, fidem, — quam hîc latiore sensu de ipsa illa fide dici, qua justificatur homo, docet contexta oratio, — mortis adventu non perituram esse, sed in alterâ etiam vitâ permansuram. Haec quoque unice conveniunt cum fidei natura, qualis a Paulo describitur. Namque si fides homini non est res contingens, extrinsecus allata, sed ipsum idque internum vitae religiosae principium, ita eam cum hominis naturâ arctissime cohaerere patet, ut in alterâ haud magis quam in praesenti vitâ, abesse ab homine possit. Quod autem monent nonnulli de fide, aliquando adspectui locum cessurâ, horum error unice debetur male intellecto loco *2 Cor.* V. 7, cujus germanam interpretationem supra indicavi. Fides scil. non curat adspectum, nam nulla ipsi res est cum iis quae sub sensus cadunt, atque naturâ suâ opponitur externae rerum speciei. Qui vero fidem tamquam minorem cognitionis gradum perfectiori in coelo cognitioni, et hactenus igitur adspectui opponant, illi patristicum discrimen πίστιν inter et γνῶσιν temere Paulo obtrudunt, et fidei notionem tribuunt, quam quis ex N. F. frustra vindicare conetur.

Dicta sufficiant ad probandam sententiam, fide, et in hac et in alterâ vita hominis contineri perfectionem moralem. Quae cum ita sint, nemo certe mirabitur, Deum fidem hoc modo intellectam in justitiam imputare. Fidei enim inesse vidimus principium, τὴν δύναμιν s. potentiam, illius integritatis, quam justitiae nomine appellari in scriptis Paulinis vidimus. Neque igitur hac in re Deum pro lubitu atque arbitraria ratione versari statuendum est. Id

scilicet, quod tamquam justitiam considerat, naturâ suâ, ipsum efficit justitiae, h. e. virtutis verae, characterem.

Idem sequitur ex loco classico *Rom.* I. 17, ubi dicitur ἀποκαλύπτεσθαι δικαιοσύνη θεοῦ ἐκ πίστεως εἰς πίστιν. Qui fidem in dies minui et tandem adspectui locum cessuram esse docent, vix intelligere potuerunt, quid verbis illis εἰς πίστιν Paulus indicaverit. Itaque abstractum pro concreto πίστιν loco πιστευόντων scripsisse Paulum nonnulli arbitrati sunt; quod durum esse nemo non videt. Verba εἰς πίστιν consilium videntur indicare, quo revelata fuerit justitia ex fide, nempe ut fidem in dies majorem pareret. Justitia igitur, quae fide continetur, hoc patefit consilio, non ut minuatur, verum ut augeatur fides. Qui fidem habet, ad fidem majorem procedit. Fidei notionis, etiamsi et illa, ut omnis virtus, imperfecta in hac vita sit, vel sic imperfectionis character per se non est proprius. Hominis perfectio, in alterâ etiam vitâ, fide h. e. rectâ hominis ad Deum relatione continebitur, ut adeo haec fides merito habeatur lex, qua Deus hominem justificet.

§ 2.

Fides, tametsi in homine Christiano in vita praesente imperfecta, fidei perfectae est initium per hominis Christiani cum Christo communionem.

Fide, etiamsi omnis perfectionis moralis principium contineri censeatur, quaestio vel sic oritur, quomodo

explicandum sit, Deum, salva ejus justitia et sanctitate, fidei initia, perfectae instar virtutis, considerare posse. Solvitur haec quaestio, dummodo teneamus, fidem, s. vitae religiosae in homine principium, non esse per se considerandam, sed arctissime eam cohaerere cum hominis Christiani cum Christo communione. Quae qualis sit, paucis ex ipso Paulo explicemus.

In epist. ad Rom. c. VI. 5 intima hominis Christiani cum Christo conjunctio proponitur desumtâ imagine a planta ita cum aliâ coalescente, ut divelli nequeant. Σύμφυτοι igitur dicuntur fideles τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου αὐτοῦ καὶ τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ. Mors vero quam Christus subiit, mox, vs. 10, definitur verbis: τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν. Accipienda haec ita sunt, ut morte, quam Jesus subiit in cruce, finis impositus fuerit pugnae, quam per totam vitam gessit cum peccato, ita ut jam in aeternum ab omni peccati impetu liber factus, in vitâ coelesti quam redux e morte his jam in terris inchoavit, nullis amplius peccati illecebris sit expositus. Itaque Christi sectatores per fidem ita cum illo sunt conjuncti, ut cum illo cruci affixi, et, aeque ac ipse Christus, peccato mortui, Deoque vivere dicantur. Istud autem peccato mori, quo omni peccati dominio liberi facti Christiani sunt, quamquam intelligendum de principio s. potentiâ perfectionis sit, quae Christianis inest, in Pauli systemate sensu carere, sponte intelligitur, nisi in conjunctione cum Christo, in illo σύμφυτον εἶναι αὐτῷ, certissimum adsit pignus et fons verae perfectionis aliquando acquirendae. De hominis igitur perfectione morali ali-

quando exspectanda cum dubitari per Christi communionem nequeat, sequitur, fidei imperfectam in vitâ praesenti conditionem nil quidquam impedire, quominus Deus illos justorum instar habeat, qui in Christi communione per fidem vivunt.

Idem Paulus docet 1 *Cor.* VI. 16. 17 metaphorâ sumtâ a conjunctione hominis cum meretrice, ideo potissimum ex ejus sententia damnandâ, quia ex hac conjunctione ὁ κολλώμενος τῇ πόρνῃ cum illa ἓν σῶμα evadit. Jam vero uti ὁ κολλώμενος τῇ πόρνῃ ἓν σῶμά ἐστιν, ita ὁ κολλώμενος τῷ κυρίῳ ἓν πνεῦμά ἐστιν. Postrema haec verba, ratione habitâ comparationis a conjunctione cum meretrice ductae, ita sunt interpretanda: qui Christi sectator est, ipsi adhaeret, arctissime et intime cum illo conjungitur, ita ut *unus cum illo* fiat; hujus vero unitatis principium est πνεῦμα, quod Christo et omnibus commune est quicunque in ejus communione vivunt. Inprimis autem uti Paulus amat comparatione ductâ a corpore humano, cujus membra rite atque organice cohaerent. Hinc ecclesia sive omnium Christianorum communio, σῶμα Χριστοῦ, singuli vero ejus socii *membra* (μέλη) corporis Christi dicuntur: 1 *Cor.* XII. 27. *Col.* I. 24. Comparatur etiam haec conjunctio Christi ejusque sectatorum cum communione ejusdem panis in sacra coena, 1 *Cor.* X. 16. 17. Ulterius etiam haec protenditur metaphora in epistolis ad Ephesios et Colossenses. Ita *Eph.* I. 22. 23. coll. *Col.* I. 18 ecclesia vocatur corpus, Christus autem hujus corporis caput, et *Eph.* IV. 16 eadem conjunctio ita describitur: ἐξ οὗ (scil. ἐκ Χριστοῦ s. ἐκ τῆς κεφαλῆς)

πᾶν τὸ σῶμα συναρμολογούμενον καὶ συμβιβαζόμενον διὰ πάσης ἁφῆς τῆς ἐπιχορηγίας κατ' ἐνέργειαν ἐν μέτρῳ ἑνὸς ἑκάστου μέρους τὴν αὔξησιν τοῦ σώματος ποιεῖται εἰς οἰκοδομὴν ἑαυτοῦ ἐν ἀγάπῃ· cf. *Col.* II. 19. Ad haec verba recte annotavit CALVINUS: „Tria notanda sunt. Primum illud, quod dixi, quicquid vitale est aut salubre, quod per membra spargitur, id a capite manare; ut in membris nihil sit praeter administrationem. Secundum, quod talis sit distributio, ut inter se communicare opus habeant, propter finitam cujusque mensuram. Tertio, quod sine mutua caritate salvum esse nequeat corpus; itaque dicit a capite per membra, tamquam per canales, subministrari quicquid fovendo corpori necessarium est." Patet hinc Paulum cogitasse vivam eamque organicam, quam dicunt, conjunctionem Christi cum ecclesiâ, qua nullo non tempore ipsi fons sit atque auctor vitae. Conjunctio autem haec, cum spiritualis sit, ita ut sint ἓν πνεῦμα, sequitur, πνεῦμα Χριστοῦ communicari cum Christianis numquam desinere. Est autem haec conjunctio cum Christo, capite ecclesiae, fons omnis perfectionis. Exponit suam hac de re sententiam Apostolus pulcerrimis illis verbis *Eph.* V. 26. 27. Christum amasse ecclesiam atque se ipsum illius causa morti tradidisse, ἵνα αὐτὴν ἁγιάσῃ καθαρίσας τῷ λουτρῷ τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι, ἵνα παραστήσῃ αὐτὸς ἑαυτῷ ἔνδοξον τὴν ἐκκλησίαν, μὴ ἔχουσαν σπίλον ἢ ῥυτίδα ἤ τι τῶν τοιούτων, ἀλλ' ἵνα ᾖ ἁγία καὶ ἄμωμος. Idem disertius etiam enuntiavit, quo loco se exspectare hunc finem conjunctionis Christi cum ecclesiâ docet, ut omnes, qui Christo per fidem juncti sint,

perveniant ad eamdem perfectionem, quae ipsi Christo inest; vide *Eph.* IV. 13, ubi fore docet, ut οἱ πάντες καταντήσωμεν εἰς τὴν ἑνότητα τῆς πίστεως καὶ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ. Finis igitur communionis cum Christo cum sit ipsius sectatorum perfectio, similis illa ipsius Christi perfectioni, hoc ipso solvitur quaestio, quomodo Deus fidem, utut in vita praesenti imperfectam, justitiae loco habere possit. Est enim haec conjunctio, quippe in Christi communione orta, nec subito, ut Mystici volunt, sed ope praedicationis Euangelii atque per hominum piorum commercium existens, tam efficax ad informandos homines, ut fieri per necessitatem moralem nequeat, ut, qui per fidem Christo vere insitus sit, in peccati servitudinem relabatur, et a fide deficiat *Rom.* VI. 1 sqq. Deus igitur omnes, quorum vitae principium est fides, justos ideo habere potest, quod eos jam idealiter q. d. intueatur tales, qui Filii sui imaginis σύμμορφοι omni ex parte facti fuerunt, *Rom.* VIII. 29. Cohaeret igitur doctrina περὶ τῆς δικαιώσεως arctissime cum perseverantia in fide, quam Paulus et ceteri N. T. scriptores docent, ita ut sine illa intelligi locus de justificatione nequeat (1).

---

(1) Cf. Clar. J. H. Scholten, *Leer der Herv. Kerk*, Edit. 2ae. T. II. p. 63—70 et 370.

§ 3.

Deus justus est in justificando homine fide cum Christo conjuncto, quum in Christi perfectione perfectionem eorum intueatur qui in Christi communione vivunt.

Superest disquisitio, quomodo Deus δίκαιος dici possit in justificandis iis, qui, etsi fide cum Christo conjuncti et perfectionis aliquando futurae haeredes sint, a perfecta tamen justitia longissime in vita praesente distant, atque peccatis nullo non tempore contaminari pergunt. Paulus in hac, quam Deo tribuit, agendi ratione nihil offendit, quod repugnare ipsius Dei δικαιοσύνῃ h. e. ejus perfectioni morali existimari possit. Agit Apostolus de hoc argumento in loco classico *Rom.* III. 25. 26, his verbis: ὃν (scil. Χριστὸν Ἰησοῦν) προέθετο ὁ θεὸς ἱλαστήριον διὰ πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων, ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ θεοῦ, πρὸς τὴν ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ἐν τῷ νῦν καιρῷ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον καὶ δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως. Δικαιοσύνη θεοῦ cujus hîc mentio fit, alia est, quam quae memoratur vs. 21. Est enim ipsius Dei justitia, s. illa perfectionis forma qua ex naturae suae sanctissimae lege, nihil nisi vere bonum justumque comprobat. Ut haec justitia in lucem prodiret Deus Christum et praecipue Christum mortuum in cruce

mundo proposuit tamquam ἱλαστήριον: causa vero qua ad hanc Deus fertur revelationem indicatur verbis: διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ θεοῦ. Haec verba duplici accipiuntur modo; aut ita, ut Christi sacrificio hactenus justitiae divinae satisfactum sit, ut, susceptis a Christo peccatorum antea impune, ut videbatur, commissorum poenis, hominum culpa deleri a Deo salvâ ejus justitiâ potuerit; aut ita, ut Deus dicatur nunc justitiam i. e. naturae sanctitatem in hominum justificatione hactenus patefecisse, quatenus Christi sacrificio h. e. ipsius obedientiâ perfectâ effectum sit, ut Deus hominem justificans non tamquam *peccatorem*, quod foret divinae justitiae contrarium, sed quatenus fide cum Christo conjunctus ejus justitiae particeps factus fuerit, ipse in justificando homine patefaciat justitiam, cujus videri possit, praetermissis peccatis antea commissis, immemor fuisse. Vix dubium esse potest quin interpretatio posterior hîc praeferenda sit. De culpa enim in tota oratione sermo non est, neque igitur de illâ delendâ agitur. Notio praeterea quae in linguis recentioribus vocabulo *justitiae* tribui solet, ad indicandam justitiam sensu specialiore, *remunerando* eam et *puniendo* conspicuam, vocabulo biblico δικαιοσύνη non inest, quippe quo indicari in V. et N. F. solet omnis perfectionis moralis ambitus. Sensus igitur est: Dei justitia aliquamdiu ob peccatorum πάρεσιν homines latuit, ita ut de justitia divina dubium oriri posset; nunc autem (ἐν τῷ νῦν καιρῷ) Deus hoc ipso quod

Christum crucis morti tradidit et tamquam ἱλαστήριον proposuit, justitiam suam manifestavit, (εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ) ita ut in justificando Christi sectatore non tantum amor verum etiam justitia divina prodeat. Quaerentibus autem nobis, quomodo Deus in Christi sacrificio justitiam suam revelaverit, perscrutanda vocis ἱλαστήριον est notio. Ἱλαστήριον, sive habeatur nomen substantivum, sive nomen adjectivum, est *id per quod aliquod peccatum expiatur* (1). Nomen repetitum a Paulo a sacrificiis piacularibus, in V. T. institutis, fuit. Parum juvaret horum sacrificiorum notionem atque significationem e libris Mosaïcis efficere, nam, etiamsi omnia huc pertinentia rite a me explicari possent, demonstratio vel sic deesset, Paulum eandem sibi proposuisse horum sacrificiorum rationem. Aliam igitur, eamque tutiorem, ut videtur, ingredi praestat viam. Paulus statuit, Christum oblatum esse mundo tamquam ἱλαστήριον ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, i. e. in morte, quam subiit, cruentâ. Jam, si ex Pauli scriptis efficere liceat, quem nexum hic sibi proposuerit Christi mortem inter et peccata, eorumdemque remissionem, simul patebit, quonam sensu Christus ἱλαστήριον dicatur. Neque tamen

(1) Calculum adjicere nequeo sententiae, qua voce ἱλαστήριον indicari censetur *operculum arcae foederis :* uti vero in omni hac disquisitione a refellendis virorum doctorum sententiis abstinui, eo minus hic ab illa discedere jubeor lege, quod nil quidquam habeam quod addam ingeniosae atque uberrimae illius sententiae refutationi quam in Comm. ad l. exhibuit Doct. E. F. A. Fritzsche, T. I. p. 190 sq.

et haec disquisitio difficultate caret. Nam ut taceam, non ubique in Pauli dictis mentem auctoris plene omnique ex parte in oculos incurrere, haud parum rei attulerunt caliginis omni tempore theologi, qui, praejudicatis opinionibus ducti, modo satisfactionem Dei justitiae, peccatorum poenas postulanti, oblatam, modo Christi obedientiam vicariam, in locis de Christi morte, Paulum docuisse statuerunt; quibus omnibus hodierno theologo periculum adest ne in interpretanda S. S., exegeticâ traditione se duci patiatur. Nos traditionis auctoritatem missam facientes, ipsum audiamus Paulum. In Pauli scriptis duplex adest Christi mortem considerandi ratio (1). Prior habetur *Rom.* VI: Χριστὸς τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν; altera ubique fere in epistolis occurrit, haec scil. qua Christus morti traditus esse dicitur ὑπὲρ s. περὶ τῆς ἁμαρτίας, aut διὰ τὴν ἁμαρτίαν. Jam praepositionibus περὶ et διὰ causam indicari propter quam aliquid obtinet, ab omnibus agnoscitur. Christus igitur ubi dicitur περὶ et ὑπὲρ τῆς ἁμαρτίας s. διὰ τὰ παραπτώματα morti se tradidisse, (collatâ formulâ Alexandrinâ περὶ ἁμαρτίας, quae apud LXX Interpretes *Lev.* V. 11, alibi, et in loco epist. ad *Hebr.* X. 6 de sacrificiis piacularibus occurrit) censendus est propterea mortuus esse, ut peccata expiaret, h. e. moriendo efficeret, ut, a culpae conscientiâ immunis, justificari

(1) Cf. Doct. J. I. Doedes in opere: *De leer van den doop en het avondmaal op nieuw onderzocht.* Ultraj. 1847. p. 4. sq.

a Deo homo posset. Jam vero quaerentibus nobis, quomodo Christi mors expiare hominum peccata potuerit, eorumdemque veniae causa esse, responsum fert altera illa, quam diximus, Christi mortis considerandae ratio, quae apud Paulum exstat, qua scil. peccatum expiasse dicendus est, eo, quod ipse τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν, quibus verbis, ut supra vidimus, triumphus indicatur, quem moriendo et Patri obediendo, in cruce, de mundo atque peccato egit, ita ut novam hominum societatem condiderit, cujus singuli socii, fide cum ipso conjuncti, participesque facti ipsius virtutis et victoriae, quoad principium fide ipsis insitum, et ipsi peccato mortui Deoque vivere dicantur, *Rom.* VI. 1 sq. Jam redeamus ad Pauli verba de quibus nunc agimus. Christum propterea ἱλαστήριον dici apparet, quia, se morti tradendo, sacrificium obedientiae Deo praestandae perfectissimum attulit, et vero hoc ipso causa exstitit, cur Deus perfectionem ejus, omnium perfectionis futurae pignus et fontem, intuens, peccatoribus benignus esse eosque, Christo quippe per fidem insitos, paterno prosequi amore possit. Christus igitur cum hoc moriendo effecerit, sacrificium perfectae obedientiae, quod ipse Deo attulit, jure dicitur sacrificium piaculare pro peccatis hominum, h. e. tale sacrificium, ex cujus consideratione Deus, salvâ suâ ipsius sanctitate, possit peccata condonare et justorum instar habere, qui, fide Christo insiti, ipsius perfectionis socii fieri coeperunt.

Haec ubi proponuntur formâ hodiernae cogitandi rationi magis accommodatâ, res ita se habet. Bonus s. δίκαιος a Deo *haberi*, ex ipsâ rei naturâ, tantum is potest, qui ex praeceptis Dei vitam agat, atque revera omnique ex parte bonus *est*. Christus igitur, ab omni quippe parte δίκαιος, vitaeque sanctitatis, vivendo et moriendo, imaginem perfectissime referens, unus ex omnibus, qui umquam vixerunt, justus *haberi* potuit. Qualis vero Christus ex judicio divino est, tales etiam habeantur a Deo necesse est, qui Christo per fidem similes evaserint. Nititur igitur hominum justificatio ipsius Christi justitiâ, quatenus et ipsi ejus justitiae facti fuerint participes. Justificantur οἱ πιστεύοντες, quatenus membra corporis sunt, cujus Christus caput est, et quatenus ipsi, pro suo modo et ratione, justitiam ejus moribus suis exprimere coeperunt, aliquandoque in ejus communione perfectam justitiam, quam Deus in homine requirit, assecuturi sunt. In Christi, generis humani capitis, q. d. repraesentativi, perfectâ sanctitate, Deus, qui res non, uti fieri a nobis solet, formâ temporis finitâ, sed formâ aeternitatis intuetur, eam agnoscit perfectionem, qua, ipso auctore, genus etiam humanum aliquando ornatum coram Deo prodibit. Christus igitur vitâ quam vixit et morte quam mortuus sanctâ est, justitia nostra hactenus a Paulo dici potuit, 1 *Cor*. I. 30, quatenus ejus justitia perfecta, ex Dei consilio aeterno, causa exstitit, cur genus humanum, utut praesentis vitae stadio imperfectum atque peccando miserum, probari a Deo speque immor-

talis salutis beari possit. Deus idcirco, cum dicitur in Christo, generis nostri capite, homines, corporis quippe ipsius membra, justificare, principium in illis, s. potentiam virtutis verae agnoscit atque approbat, cujus eximii fructus in ipso Christo reapse et modo perfectissimo cernuntur, inque omnibus qui ipsi per fidem sunt conjuncti, certo apparituri aliquando sunt.

Est autem haec doctrina ejusmodi, ut nihil hodieque excogitari ab intellectu humano possit sublimius atque ad solvendam difficilem quaestionem, quî tandem Deus ferre, imo favore prosequi, homines, peccando miseros, salvâ suâ ipsius sanctitate, possit, efficacius. Qui hac in quaestione explicandâ provocant ad Dei liberam gratiam, qua possit bene velle peccatoribus, ex solo ipsius beneplaciti arbitrio, illi non attendunt, arbitrium quoque voluntatis divinae, haud secus atque cetera omnia in Deo, ipsius naturae divinae perfectione circumscribi; Deum igitur, prae infinito quo est amore, nil quidquam velle posse, quod sit ipsius sanctitati et justitiae contrarium. Sequitur hinc, veniam peccatorum atque salutis aeternae promissionem contingere homini divinitus non posse, nisi modo ceteris virtutibus divinis ipsique naturae divinae consentaneo. Jam vero cum perfectioni divinae neutiquam adversetur, justos agnoscere eos, quibus principium inest, quod perfectionis consummatae fons aliquando existet, quaestio haec omnis de justificatione eo redit, ut Deus, generi humano peccando misero succurrere, prae infinito ipsius amore, cupiens, aeterno suo consilio mo-

dum conceperit, suoque tempore exsecutus fuerit, quo, sublato per Christum peccati principio, in servandis hominibus suae ipsius sanctitati satisfaciat. Consilium istud exsequi Deus jam coepit a generis inde humani initiis, exsequi perrexit, quoties viros sanctos excitans, per ipsos curavit, ut ne igniculi imaginis divinae in ceteris exstinguerentur, imo vero, consopiti peccati illecebris, novo splendore exardescerent. Ut dicam quod sentio: hominibus, utut peccato miseris, Deus benevult, propter humanitatem ipsam, in mediâ peccati corruptione non penitus deletam, meliorisque conditionis spem generi nostro facientem. In ipso adeo parentum generis nostri lapsu, Deus favore suo ornare et ipsos et vero eorum posteros non desiit, certa exspectatione fretus, fore scilicet, ut genus humanum, peccato lapsum, ipsâ vi humanitati insitâ, peccatum superaret. Biblice ut loquar: Deus condonavit generi nostro et condonare peccata potuit, sobolem mulieris intuitus, qui aliquando malis peccato hominibus inflictis medicinam pararet, atque post longum certamen serpentis caput contereret. Soboles illa, quamquam in piis quibusque, recte momente jam Calvino, apparuerit, in Christo, τῷ υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου, homine perfecto et consummata Dei imagine, tanto splendore apparuit, ut genus humanum, in ejus communione perficiendum atque a peccati labe purgandum, amare ipsique bene cupere Deus, salvâ ipsius sanctitate, potuerit. Christus, sanctitatis humanae exemplar consummatum, Deo veluti sponsor sanctitatis est, quam Deus ab omnibus requirit.

In Christo Deus fidelium coetum, fide cum ipso, capite ecclesiae, conjunctum, ecclesiam intuetur ἄσπιλον, ἄμωμον, *Eph.* V. 27, nullis maculis contaminatam, Christo similem, *Rom.* VIII. 29, quamque ex consideratione futurae ejus perfectionis jam his in terris justificat, probat et filiorum instar diligit. Deus igitur, qui lege fidei hominem in Christo justificat, tantopere abest, ut in homine virtutis studium non curet, ut contra fidem, justificationis legem, postulando et probando, justitiae perfectae initia probare existimandus sit, unde, veluti ex ubere fonte, Dei imago, peccato in homine obscurata, novo splendore instaurata prodibit. A justificationis doctrinâ hoc modo propositâ omnem abesse suspicionem, quasi alienâ virtute hominem induat, et propter aliena merita gratum Deo faciat, sponte in oculos incurrit. „Non enim," ut recte monuit CALVINUS, „Christum *extra nos procul* speculamur, ut imputetur nobis ejus justitia, sed quia ipsum induimus et insiti sumus in ejus corpus, unum denique nos secum efficere dignatus est, *ideo justitiae societatem* nobis cum eo esse gloriamur." *Institt.* III. XI. 10. „Est enim haec," ut alibi vir summus loquitur, „mirifica commutatio, quod, filius hominum nobiscum factus, nos secum Dei filios fecerit: quod, suo in terras descensu, adscensum nobis in coelum straverit: quod, acceptâ nostrâ mortalitate, suam nobis immortalitatem contulerit: quod, susceptâ nostrâ imbecillitate, suam in nobis virtutem confirmaverit: quod, nostrâ in se receptâ paupertate, suam ad nos opulentiam

transtulerit: quod, receptâ ad se injustitiae nostrae mole, suâ nos justitiâ induerit. Hinc sequitur, ut nobis secure spondere audeamus, vitam aeternam nostram esse, cujus ipse est haeres, nec regnum coelorum, quo jam ingressus est, posse magis nobis excidere quam ipsi" IV. XVII. 2.

Ut verbo denique rem complectar: Deus humanum genus, utut imperfectum, divinâ suâ benevolentiâ et paterno favore prosequitur, ipsique peccata condonare, Christoque conjunctum justum habere, ideo salvâ ipsius justitiâ et sanctitate, potest, quod Christus futuram generis nostri perfectionem Patri spoponderit et spondeat. Solvit hoc modo religio Christiana problema, quod philosophia proponere, non vero explicare valet. Nam si ex optimi cujusque philosophi sententiâ, problema, cur Deus ferre, imo diligere genus humanum peccando miserum, salvâ suâ ipsius sanctitate, possit, solvi aliter nequeat, quam observatione, niti hanc benevolentiam divinam incorruptibili indole divina hominibus indita, quae, optimorum quorumque institutione in dies excolenda, tandem fructus latura virtutis consummatae est, ita futuram illam perfectionem generi nostro spondere philosophia ipsa nequit. Hoc demum esse munus posse religionis Christianae quisque confitebitur, qui ex omnibus qui fuerunt generis nostri ducibus, hunc unum ἀρχηγὸν habendum esse profitetur, quippe virtutis et sanctitatis τελειωτήν. Quod igitur philosophia anquirit, religio Christiana exhibet. Deo satisfieri ab homine, nisi sanctitate

vitae atque perfectâ obedientiâ Deo praestandâ, non posse, si docet philosophia, Deo satisfactum esse a Christo, perfectâ obedientiâ in vita et morte praestitâ, religio Christiana in luce collocavit; simul vero pro nobis Christus Deo satisfecisse existimandus est, quatenus ipse caput est ecclesiae, ejusque virtus in totum fidelium corpus transit. Christo igitur Patri satisfaciente, totum genus humanum satisfecisse Deo censetur, quandoquidem in ipsius communione, modo aliquando perfectissimo, satisfactio, quam Deus requirit, a tota ecclesia praestabitur.

Ita conspirant et ab hac parte philosophia atque sanctissima religio, ut adeo sententiae veritas hîc quoque elucescat: id quod quaerit philosophia, religionem possidere.

QUAESTIONES.

I.

Vocabula δικαιοσύνη et δίκαιος in scriptis Novi Foederis ubivis, et vero speciatim in epistolis Paulinis, hoc sensu usurpantur, ut significent idem, quod Latinorum *probitas* et *probus*, illiusque adeo conditionem exprimant, qui talem se praestat, qualis, per ipsam hominis indolem moralem, ex Dei voluntate, sit, oporteat.

II.

Δικαιοῦν hominem Deus dicitur, quem esse δίκαιον judicat.

III.

Ἡ δικαιοσύνη ἡ ἐκ τοῦ νόμου, ἡ ἐν νόμῳ, ἡ ἐξ ἔργων νόμου, quam tempore Jesu et Apostolorum propugnarunt Judaei, ejusmodi vitae probitas est, quae accuratâ legis praeceptorum observantiâ continetur.

IV.

Nititur haec justitia s. probitas legalis notione forensi pacti mutui, quod Deus cum hominibus iniverit, ex cujus igitur ratione hominem legi obedire, Deum vero hominis obedientiam legi praestitam remunerari ex debito oporteat.

V.

Hoc probitatis genus, ex ipsa Judaeorum sentiendi ratione minime sufficere, ut quis a Deo justus haberi possit, Paulus docuit, quandoquidem nemo sit, qui legis praeceptis sic obtemperet aut obtemperare possit, uti ipsa legis sanctitas requirit.

VI.

Nec tantum Paulus justitiam legalem, ex ipsâ Judaeorum sentiendi ratione, ad justificationem non sufficere, verum etiam per se improbandam esse docuit,

quippe mercenariam et vero principio destitutam, quo unice Deo placere atque a Deo justus haberi homo possit.

VII.

Substituendam igitur, docuit Apostolus, justitiae legali, τῇ δικαιοσύνῃ τῇ ἐκ τοῦ νόμου, τὴν δικαιοσύνην τῆς πίστεως s. τὴν ἐκ πίστεως, h. e. eam vitae probitatem, cujus principium ἡ πίστις est.

VIII.

Ἡ πίστις in scriptis Pauli ea hominis ad Deum est relatio, qua homo, non, uti in pacto fit, ut partium altera se sistat adversus Deum, sed, contra, instar filii, se Deo, tamquam Patri, instituendum tradat, verbo, in arctissimâ cum Deo communione vivat. — Πίστις igitur est idem, quod nobis dici solet *religio*, vocis sensu subjectivo usurpata.

IX.

Hanc vitae rationem, cujus ἡ πίστις principium et character est, quamque jam olim in Abrahamo probavit atque justitiae verae nomine insignivit Deus, generatim atque in singulis etiam hominibus, id esse, Paulus docuit, quod Deus λογίζεται εἰς δικαιοσύνην, h. e. probitatis instar verae considerare velit, et, salvâ ipsius sanctitate, possit.

X.

Existere intima illa hominis ad Deum relatio quum nequeat, quamdiu Deus, judicis instar minantis et vindictam agentis, hominum mentibus se offerat, sequitur, fidem, s. religionem in homine veram, tunc demum oriri posse, quum de Deo ejusque ad hominem relatione existimare aliter didicerit, quam fieri ex legali sentiendi ratione potuit.

XI.

Aliter de Dei ad hominem relatione existimare homo discit, quamprimum ipsi ex Christi apparitione, vitâ sanctâ et morte salutari, constet, Deum non tantum velle, sed etiam, salvâ ipsius sanctitate, posse peccatores in gratiam recipere.

XII.

Potest Deus, salvâ ipsius justitiâ, peccatores in gratiam recipere, quorum futuram perfectionem in Christo intuetur, generis humani capite. Christus autem, quum vivendo et moriendo eam praestiterit obedientiam, ex cujus consideratione Deus homines, in ejus communione a peccato liberandos, in gratiam recipiat, hoc ipso ἱλάσκεσθαι, h. e. tegere hominum peccata dicendus est et vere praestitisse, quod sacrificiis piacularibus, sub legis

oeconomia adumbratum fuerat. Hinc dicitur a Paulo constitutus esse a Deo ἱλαστήριον ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, *Rom.* III. 25.

XIII.

Christus nobis factus esse δικαιοσύνη a Paulo dicitur, (1 *Cor.* I. 30) quatenus perfecto effecit probitatis exemplari, quod et in vita et vero in morte retulit, ut Deus, in ejus sanctitate pignus et fontem intuens futurae omnium perfectionis, qui fide cum illo sunt conjuncti, justorum instar habere possit omnes, qui in ejus communione vero religionis principio imbuti fuerint.

XIV.

Vera igitur religio s. πίστις, cujus Christus, tam *objective*, Deum manifestando, fundamentum jecit, quam *subjective*, in communione secum, auctor hominibus existit, πίστις dicitur a Paulo Ἰησοῦ Χριστοῦ, h. e. *fides, cujus Jesus Christus auctor est.*

XV.

Πίστις Ἰησοῦ Χριστοῦ cum nequeat existere, nisi Jesum Messiam habeas, atque in ipsum, divinitus missum Servatorem, toto animo confidas, merito ad *fidem Jesu* acquirendam requiritur a Paulo τὸ πιστεύειν εἰς Ἰησοῦν Χριστόν. *Gal.* II. 16.

XVI.

Quicunque fide reposita in Christum, (πιστεύων εἰς Χριστὸν) in rectam pervenerit ad Deum relationem (πίστιν), cujus Jesus et *objective* et *subjective* auctor est, is demum ex Pauli sententia δίκαιος est, δίκαιος παρὰ τῷ Θεῷ, ejusque dicitur conditio δικαιοσύνη Θεοῦ, aut propterea, quod Deus ipse hujus probitatis in homine per Christum auctor sit, aut propterea, quod haec demum justitia probitas sit, quam Deus requirit. (Conf. *Matth.* VI. 33).

XVII.

Opponitur δικαιοσύνῃ Θεοῦ a Paulo ἴδια δικαιοσύνη, h. e. aut ejusmodi vitae probitas quae propriis viribus, adeoque sine Deo, acquiri censeatur, aut probitas commenticia, qua homo ex sua ipsius opinione, non vero ex sententia Dei, probus sit.

XVIII.

Deus, ubi τὴν πίστιν εἰς δικαιοσύνην λογίζεται, non est injustus, quippe cum πίστις probitatis verae, quam Deus approbat, principium sit, unde, in communione cum Christo, perfecta probitas perfectaque religio aliquando oriantur.

XIX.

Fides cum sit justitiae s. probitatis verae principium et character, intelligitur, cur πιστεύοντες, quippe δίκαιοι, a Paulo ἁμαρτωλοῖς et ἀσεβέσι opponi possint.

XX.

Sequitur hinc, ubi Deus dicitur δικαιοῦν τὸν ἀσεβῆ (*Rom.* IV. 5), id hoc quidem modo explicandum non esse, quasi Paulus doceat, Deum considerare impium ut pium. Ex totâ enim Pauli doctrinâ patet, eum significare voluisse, Deum τὸν ἀσεβῆ justum habere, postquam, per fidem Jesu insitus, justus fieri coeperit, ἀσεβὴς esse desierit.

XXI.

Fides cum sit ex Pauli sententia religio s. vera hominis relatio ad Deum, intelligitur, cur ἡ δικαιοσύνη revelari dicatur a Paulo ἐκ πίστεως εἰς πίστιν, ut hominem a fide ad majorem fidem progressurum esse doceat.

XXII.

Augeri igitur, non vero exstingui in alterâ vitâ ἡ πίστις poterit, eamque ipsam ob causam a Paulo, una cum spe et caritate, ceteris omnibus donis superstes fore dicitur.

XXIII.

Qui ex 2 *Cor.* V. 7 contrarium efficiant, et fidem cessuram esse aliquando adspectui doceant, illi nec fidei notionem intelligere, nec vim vocabuli εἶδος exprimere censendi sunt.

XXIV.

Cum dicitur Christus ἁμαρτία factus esse ut ἐν αὐτῷ δικαιοσύνη Θεοῦ γενώμεθα (2 *Cor.* V. 21), explicandum hoc est e communione Christi, capitis ecclesiae, et Christianorum, ipsius, capitis, membrorum. Hac ipsâ enim communione factum est, ut ipse sortem ἁμαρτωλῶν, peccati adeo sequelas, h. e. poenam, ferret, homines vero, ipsius justitiae participes facti, justorum instar a Deo considerari possint.

XXV.

In dijudicanda diversa ratione qua Paulus et Jacobus doctrinam de justificatione proposuerunt, bene tenendum est, Paulum docere, justificari hominem χωρὶς ἔργων νόμου, *Rom.* III. 28, Jacobum vero, quum operum bonorum necessitatem urgeat, non loqui de ἔργοις νόμου, sed de ἔργοις (II. 20 sqq.), ita ut Paulus dictum Jacobi, II. 24, Jacobus dictum Pauli, *Rom.* III. 28, approbaturus fuisse existimandus sit.

XXVI.

Methodus Anselmiana, qua placitis religiosis, auctoritate, s. scripturae, s. ecclesiae, sit *credendum*, ut dein progressio a *fide* ad *intellectum* fiat, ideo a Protestantibus admitti nequit, quod illud ipsum auctoritatis principium, quippe nullâ porro auctoritate divina confirmatum, aut omni, quo nitatur, fundamento caret, aut argumentis demum historicis et philosophicis h. e. ope rationis, probandum est. Quare se ipsos decipere illi inter Protestantes theologi censendi sunt, qui Anselmianum „*credo ut intelligam*" propugnant. Illi ipsi enim, quum ad probandam Scripturae auctoritatem ad argumenta e ratione petita confugiunt, non *credunt ut intelligant*, sed *intellexerunt ut crederent.* Hactenus iccirco sibi constat ecclesia Romano-Catholica, ubi conamen quodcunque probandi ecclesiae auctoritatem rationibus humanis improbans, „fidem tenendam esse," docet „seclusa omni non solum ambiguitate, sed etiam demonstrandi studio" (Catech. Rom. P. I. c. I. Quaest. 3.).

XXVII.

Methodum illam, qua per fidem, s. ecclesiae s. scripturae auctoritate superstructam, ad intellectum procedatur, nec ipse Jesus nec ejus Apostoli commendarunt. Jesus et Apostoli in tradenda religione non pugnant

auctoritatibus, sed ad sensum homini moralem insitum ejusque intelligendi facultatem, verbo, ad ipsam hominis indolem divinam provocant, depravatam quidem peccato, non vero exstinctam, ipsiusque spiritu divino in dies excolendam.

XXVIII.

Assensus adeo, quem postulant, non est fides auctoritate qualicunque superstructa, sed mentis et animi actus spontaneus, quo homo ipsam veritatem, quippe naturâ sibi cognatam, libere agnoscit atque suscipit.

XXIX.

Joh. XX. 29 verba ὁρᾷν et ἰδεῖν, varietatis orationi conciliandae causa, promiscue usurpantur, ut corporis oculorum adspectus significetur. Jesus Thomam reprehendit, quod ipsum, in cruce mortuum, Dei Filium agnoscere ante recusaverat, quam eum oculis ipse suis e sepulcro redivivum adspexisset, fidemque illorum laudat, qui ad divinum, quod ipsius operi atque personae inest et mentis tantum oculis animadverti potest, agnoscendum, miraculis in sensus cadentibus, quale erat visibilis ejus in vitam reditus, non egeant. Quare mentem hujus dicti Doct. Usteri minime perspexisse censendus est, ubi (*Entw. des Paul. Lehrbegr.* p. 150) contendit, Jesum h. l. fidem auctoritate aliorum superstructam commendasse, Thomae adspiciendi studio oppositam.

XXX.

Egregie igitur et vere scripsit Hermannus Alexander Röell, theologus Rheno-Trajectinus: „ quamquam vir divinus (Paulus) nihil loqueretur nisi λόγια θεοῦ, id tamen sibi simpliciter affirmanti credi nolebat, sed quemvis auditorem eorum quae loquebatur judicem atque arbitrum constituebat; neque aliam ob causam verba sua ut Dei verba obsequiosâ mente recipi volebat, quam propter φανερώσιν τῆς ἀληθείας πρὸς πᾶσαν συνείδησιν ἀνθρώπων ἐνώπιον τοῦ θεοῦ (2 *Cor.* IV. 2).

XXXI.

Joh. VI. 51 verba ἣν ἐγὼ δώσω, quippe spuria, e textu eliminanda sunt, orationis autem nexus hac ejectione turbatus ita restituendus est, ut, transpositis verbis ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, legatur: ὁ ἄρτος, ὃν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, ἡ σάρξ μου ἐστίν.

XXXII.

Joh. VII. 3, verba: ἵνα καὶ οἱ μαθηταί σου. κ. τ. ἑ. intelligi in contextâ oratione nequeunt. Scripsisse pro και (καὶ) Johannem conjicio κακει (κἀκεῖ) s. simpliciter εκει (ἐκεῖ).

XXXIII.

Gal. II. 17 pro ἆρα scribendum est ἄρα. Paulus scilicet probare studet, consequens esse sententiae eorum Christianorum, qui cum Judaeis ex legis obser-

vantiâ justificationem repetant, ut Christum, principium legale abrogantem, male egisse, adeoque ἁμαρτίας διάκονον fuisse doceant.

XXXIV.

In Arianorum interpretatione effati *Joh.* I. 14 triplicem errorem jure notarunt patres orthodoxi; primum quod τὸν Λόγον dici a Johanne Θεὸν stricto sensu negarent; deinde quod σὰρξ idem valere ac σῶμα contenderent; tandem, quod, docetarum more, verbo ἐγένετο incarcerationem s. inclusionem τοῦ Λόγου in corpore humano indicari docerent.

XXXV.

In AUGUSTINI verbis: „Domine, quia nos fecisti ad Te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in Te", verum τῆς μετανοίας indicatur principium.

ERRATA.

Praef. pag. 2. reg. 10. loco *profectus* legatur *profecto*

» 45. » 19. » *in autem* » *ni autem*

» 82. » 5. » *quibuscum* » *quibus cum*

vantiâ justificationem repetant, ut Christum, principium legale abrogantem, male egisse, adeoque ἁμαρτίας διάκονον fuisse doceant.

XXXIV.

In Arianorum interpretatione effati *Joh.* I. 14 triplicem errorem jure notarunt patres orthodoxi; primum quod τὸν Λόγον dici a Johanne Θεὸν stricto sensu negarent; deinde quod σὰρξ idem valere ac σῶμα contenderent; tandem, quod, docetarum more, verbo ἐγένετο incarcerationem s. inclusionem τοῦ Λόγου in corpore humano indicari docerent.

XXXV.

In Augustini verbis: „Domine, quia nos fecisti ad Te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in Te", verum τῆς μετανοίας indicatur principium.